DE

EUDOCIAE QUOD FERTUR VIOLARIO

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

PAULUS PULCH

WIESBADENSIS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXX.

61

Eudocianae quaestionis adeundae cum ante hos duos annos auctor mihi extitisset Guil. Studemund praeceptor meus, primum poetarum graecorum vitis, quae in Eudociae violario leguntur, cum Suidae lexico comparatis eo perveni, ut in eis violarii fontem existimarem esse Suidae aliquem librum deterrimum. A qua sententia cum plane diversam Ioannnes Flach in actis Teubnerianis (Mittheilungen der Teubner'schen Verlagsbuchhandlung) mense Octobri 1878 promulgasset, cum ipse ne retractatis quidem eis, quae ante conquisiveram, reliquisque biographicis glossis examinatis, ut ab illa sententia recederem, permotus essem: ne quid neglegerem, anno 1879 ineunte Parisiis versatus, quantum per temporis angustias licuit, accuratissime codicem violarii manu scriptum cum editione Villoisonii comparavi. Qua comparatione non magis quam Flachii libro (Untersuchungen über Eudokia und Suidas), in quem Parisiis reversus incidi, ad mutandam sententiam adductus sum. Nova autem violarii editione, quam emisit Flach, aliisque quibusdam sententiis nuper a viris doctis de Eudocia prolatis tantum abest ut ad illas partes traductus sim, ut meum de hac quaestione iudicium exponere ne nunc quidem dubitem.

Sed antequam disserendi initium faciam, Guil. Studemundo, studiorum meorum fautori humanissimo, quod ad Eudociam me adduxit, maxime me esse obligatum confiteor gratiasque ei ago amplissimas.

Eudociae violarii codices manu scripti extant duo Parisiis in bibliotheca maxima (*bibl. nationale*); quorum alterum saeculo XVI^{to} scriptum esse et chartae genus et litterarum

formae produnt (cod. Gr. 3057), alterum (suppl. 42) e priore illo descriptum esse ne obiter quidem comparantem fugit. Recentior liber, ut ipse testatur, Francogalli hominis industriae debetur, cui nomen erat Rassicod, qui a. 1718 decessisse traditur. Antiquior codex, penes quem unum omnis in hac quaestione auctoritas est, in chartis magnis non ineleganter exaratus est. Prioribus 44 paginis continetur capitum index rubro scriptus; sequitur textus 602 paginas occupans. Quarum in prima picta est femina in media aula sedens in solio aureo, regio induta ornatu, laeva librum tenens aureo tegumento splendidum. Ambitus picturae modicus est, ars pictoris mediocris. Sequitur in eadem pagina titulus operis rubro pictus aeque atque omnes per totum volumen capitum inscriptiones et initiales quae vocantur litterae itemque adnotationes nonnullae in marginibus additae. Titulum excipit epistula, cuius verba usque ad *ἀποσπώντων καὶ κατάληψιν* exhibet pagina prima.

Videtur autem mihi totus liber unius hominis manu esse exaratus, qui idem, nisi fallor, auctor violarii fuit. Quod ut credam, non solum fontium usurpatorum natura, ut infra exponetur, sed etiam ipsa codicis specie adducor. In marginibus enim eius latissimis permulta ab eadem manu, quae textum scribit, adnotata leguntur*); quae fere omnia in

*) Exempla locorum in codicis margine extantium profero ex initio violarii petita haec: P. 4 *Ἀκρία δὲ — ἱδρυμέναι*, et *Ἀλαλκομενηῒς μέντοιγε — τραφεῖσα Βοιωτοῦ*. P. 9 *ἀλευρόμαντις — μαντεύεσθαι*. P. 12 tota glossa *περὶ τοῦ αἵματος τοῦ ἐπιβωμίου*. P. 14 *διὸ καὶ ἱερὰ αὐτῆς — λέγεται*. P. 15 *αἱ δὲ αὐταὶ νῆσοι* usque ad finem glossae *περὶ Αἰόλου* ex Eustathii ad Dionysium Periegetam commentariis. Omnino quos ex illo auctore exhibet locos Eudocia ante p. 47, in margine omnes collocatos videmus. (P. 37 *περὶ Ἀμαζόνων* verba *οἰκοῦσαι πρὸς τῷ Θερμώδοντι* a Villoisonio omissa, p. 38 *Τράλλα — Ἄλλα* et *Ἔφεσον — ἄφεσον* et in glossa *περὶ Ἀμαλθείας* verba inde ab *ἕτεροι δὲ τὸ τοῦ μύθου*. Quare nescio an ante p. 47, ubi *περὶ Αἰγύπτου* caput ex Eustathii ad Dion. commentariis in textu legitur, in eum fontem non inciderit Eudocia et quae ante illam paginam inde deprompta leguntur, postea in margine addiderit.) Sed satis mihi multa videor protulisse exempla, quibus quod volo efficiatur. Alia quaedam passim infra exhibebo.

textum receperunt editores paene nulla peculiaris sedis mentione facta. Sunt autem illa ex isdem fontibus, unde textus derivari solet, deprompta: ut ab eo, qui textum scripsit, ad supplendas glossas ea esse apposita appareat. In quibus additamentis cum eaedem textus scriptorum expressorum formae usurpatae sint atque in ipsis Eudociae glossis, codicis Parisini librarium non esse diversum ab auctore violarii efficitur.

Editionem violarii qui primus dedit Villoisonius in anecd. Gr. I (Venetiis 1781), non eam quam par erat curam adhibuit. Etenim plurima codicis vitia tacitus correxit, alia ipse non pauca Eudociae obtrusit, denique particulae nonnullae libri manu scripti in editione desiderantur. Quibus maculis ut Eudociae textum liberaret, novam editionem nuper curavit I. Flach, vir de hoc auctore haud dubie in primis meritus. Qui cum et codicem Parisinum primus post Villoisonium accuratius examinasset et fontibus indagandis operam dedisset, fieri non potuisset quin omnibus numeris absolutam exhiberet Eudociae editionem, nisi praeiudicata de auctoris praestantia ductus opinione satis multorum et egregiorum codicis vitiorum mentionem in apparatu critico, in textu eadem fere atque Villoisonius, quin etiam plura quam ille omisisset. Fontium autem testimonia quamquam laudabili diligentia conquisivit, tamen persaepe in indicandis eis procul a vero abesse virum doctissimum ex eis quae infra exponam elucebit.

Antequam e bibliothecae tenebris in lucem prolatum est, Eudociae violarium maxima apud viros doctos laude florebat atque dignissimum videbatur, quasi quoddam »egregium antiquitatis monumentum, quod tandem publicam lucem aspiceret.« (cf. catal. bibl. Reg. cod. Gr. II, p. 603; Fabricius-Harless bibl. Gr. VIII, 55 sq.) Tantam virorum doctorum expectationem editus liber non explevit, quippe quem novi fere nihil, nota pleraque ex aliis fontibus neque ex codicibus optimis excripta praebere cognoscerent. Quos Eudociae fontes indagare primus studuit Wyttenbach a. 1783 nec tamen nisi earum glossarum, quae sub littera A inveniuntur (bibl. crit. Amstelod. II, 3, p. 6 sq.). Quem secutus A. Meineke

in Tychseni et Heereni bibliothecae (Bibl. für alte Litteratur u. Kunst) partibus V et VI a. 1789 eorum capitum, quae sub litteris B — M leguntur, fontes potissimos monstravit idemque eodem loco primus de Eudocia violarii auctore dubitavit. Permulta enim in eo leguntur isdem verbis narrata atque in Eustathii et Tzetzarum commentariis. E quibus ipsis cum Eudocia, ut saeculo antiquior, haurire non potuisset, ex isdem atque illos fontibus sua illam derivasse arbitrabantur Villoisonius et Wyttenbach; in eandem sententiam abiit C. G. Mueller in praefatione editionis Tzetzarum in Lycophronem commentariorum p. XXVI sq.; eidemque viri docti, quae ad litterarum Graecarum historiam pertinentia in violario extant, eorum pleraque non ex ipso Suida, sed ex isdem quibus illum fontibus duxisse Eudociam censebant.

Contra aliis viris doctis non Suidae fontibus, sed ipso eius lexico usa esse Eudocia videbatur; veluti G. Bernhardy in commentationibus Suidae praemissis I, p. XXVIII et XXXII inter Suidae epitomatores numerat Eudociam. Cuius Suidae editionis in censura Maur. Schmidt in annal. philolog. LXXI, 474 a Bernhardyo ad Villoisonii et Muelleri sententiam regressus in biographicis quae vocantur glossis communem Suidae et Eudociae fontem esse contendit Hesychii Milesii onomatologum. Probaverunt hanc sententiam non pauci, argumentis confirmare studuit Fr. Nietzsche in mus. Rhenani vol. XXII, 189 sq. Qui cum quasi in transitu rem attigisset, proximo anno 1868 contrariam sententiam defendit R. Nitzsche dissertatione Lipsiensi, quae inscribitur: Quaestionum Eudocianarum capita IV. Qui quamquam diligentius et accuratius quam quisquam antea hanc quaestionem tractavit, tamen cum eam minime absolvisset, proximis annis non defuerunt qui contrarias partes secuti denuo eosdem Eudociae fontes esse atque Suidae contenderent, ut H. Weber et Volkmann in philologi Gotting. supplemento III, 469 adn. 35, Th. Bergk in hist. litt. Gr. I, p 293, E. Rhode in mus. Rh. XXXIII, p. 180: nuperrime Ioannes Flach Tubingensis libro a. 1879 publici iuris facto, qui inscribitur: »Untersuchungen über Eudokia und Suidas«, Hesychii Milesii epitomam

communem esse Suidae et Eudociae fontem idemque ab Eudocia revera conscriptum esse violarium evincere studuit. Nam de hac re postquam Meineke, ut dixi, dubitavit, anno 1876 Const. Sathas in bibl. Gr. med. aevi V a Michaele Psello violarium scriptum et Eudociae donatum esse coniecit, ut ipsa tamquam suum opus Romano Diogeni coniugi dedicaret; quam coniecturam rectissime refellit Flach l. l. 179 sq. In philologorum denique conventu XXXII. Wiesbadensi Gropius Weilburgensis post renatas litteras confectum esse violarium contendit. Nuperrime A. Daub postquam in libello quem de Suidae biographicorum origine et fide Lipsiae 1880 edidit, ita usam esse Suidae lexico Eudociam statuit, »ut Hesychii onomatologum et conrigendi et locupletandi causa consuleret« (cf. l. l. adn. 17), in programmate gymnasii Friburgensis 1880 emisso p. 3 illam priorem sententiam ita circumscriptam se velle profitetur, »ut Eudocia, quatenus non alios scriptores, velut Laertium et Philostratum adierit, omnes fere vitas e Suida unice mutuata sit.« Ceterum idem vir doctus non solum de Flachii quaestionibus Eudocianis rectissime in hoc libello iudicavit, sed etiam permulta Eudociae biographica non sine fructu examinavit.

Hae fere sunt de violario sententiae adhuc a viris doctis prolatae; a quibus paene omnibus cur dissentiendum esse putem, hoc libello exponam.

Libri supra laudati p. 170 Flach a Varino Phavorino Nucerino s. XVI ineunte in dictionario Graecae linguae conscribendo praeter alios fontes Eudociae violarii codicem Parisino, quo nos utimur, antiquiorem usurpatum esse censet; extare enim in violario glossas non paucas, quae isdem verbis apud Phavorinum legantur. Atque illud quidem rectissime ait, quaeque exempla profert, ea mirum quantum cum Phavorino congruunt. Ab eo autem ex Eudociae libro eas haustas esse minus recte mihi videtur statuere. Neque enim Phavorinus, si quid video, Eudociam, sed Phavorinum excribit violarii auctor falsarius, id quod unus adhuc, quantum sciam, vir doctus anonymus perspexit. Legitur enim in Scholiorum Aristophanis editione Dindorfiana vol. III p. 169

adn. 8: »Vir doctus, penes quem olim fuit exemplar meum editionis Kusteri, haec adscripsit: *Σίλλῳ·* Eudocia p. 36 dat *τύμβῳ*, quod habet et Varinus, unde sua hausit *ψευδευδοκία*, quae, nisi me omnia fallunt, est ipse Varinus.« Is vir doctus quis fuerit, nescitur; certe Eudociae fontem potissimum primus agnovit, quamquam auctor violarii Phavorinus esse non potest, quippe qui mortuus sit a. 1537, quo anno editio Basileensis lexici, qua usam Eudociam esse docebimus, impressa non erat. Quo autem facilius utri sententiae adstipulandum sit, intellegatur, quibus locis Flach ad suam sententiam probandam utitur, eosdem nostrae testes proferemus.

1. *Περὶ Ἀμφιδρομίων.* Eud. p. 39. Hausta est glossa e fontibus his: a) initium — *ἐλάμβανον* ex Harpocr. i. v. ‖ b) — usque ad *προσήκοντες* ex Schol. Platon. Theaet. 160, E. ‖ c) *καὶ ἄλλως* — ad finem ex Etym. Magn. 89, 54. Tribus his e partibus composita glossa cum eodem trium partium ordine in Phavorini lexico ed. Bas. p. 152 extet, aut Phavorinum Eudociae aut Eudociam Phavorini fontem statuamus necesse est. Atqui a fontibus propius abest Phavorinus, velut in parte ex Harpocratione petita eius verba *Λυσίας περὶ τῆς ἀμβλώσεως, εἴπερ γνήσιος ὁ λόγος* Phavorinus servat, omittit Eudocia. Ipsos igitur fontes descripsit Phavorinus et in glossae formam redegit, Phavorinum excerpsit Eudocia. Ceterum non *ἦν*, quod Flachii operae dederunt p. 170, sed *ἤγετο* cum Eudocia habet Phavorinus, illa autem *ἢ κατά τινας* cum hoc, non *καὶ κατά τινας*, quod Flach videtur legisse. Eadem quod in glossae principio mutat *ἑορτή* pro Harpocrationis et Phavorini voce *ἡμέρα*, id cum in rasura habeat Eudociae codex, non in fonte inventum, sed fictum a falsario esse apparet.

2. *Περὶ τῆς Ἀργοῦς.* Eud. p. 79. Constat hoc caput ex his quattuor partibus: a) *Ἀργὼ* — *Ἀργοναῦται.* Etym. M. 136, 31. ‖ b) *Ἄργος* — *αὐτήν.* Schol. Ap. Rh. I, 224. ‖ c) *Φερεκύδης* — *ἐκλήθη.* Schol. Ap. Rh. I, 4. ‖ d) *ἢ ὅτι* — *Ἄργου.* Tzetz. Lyc. 883. Has partes Eudocia ipsa consarcinavit

nec tamen ex ipsis fontibus, sed e Phavorino sumptas. Nam siquid ille in fontium textu mutat, non cum illis Eudocia, sed cum Phavorino consentit; praeterea integros fontes ille, in compendium redactos exhibet violarii auctor. Primam partem habet Phavorinus p. 271 ibidemque coniunctas tertiam et quartam; altera apud eundem extat p. 269.

3. *Περὶ τοῦ δέρατος τοῦ χρυσομάλλου*. Eud. p. 108. Partes glossae sunt hae: a) *δέρας — Κριόν*. Schol. Ap. Rh. IV, 177. || b) *καὶ δέρας — ἐνέργειαν*. Zonaras p. 484. || c) *καὶ χάραξ — φησί*. Eust. ad Dionys. Per. 689. Atque Eustathium quidem ipsum excribit Eudocia. Quae praecedunt, Phavorini ed. Basileensi p. 469 deberi cum inde apparet, quod duo ibi fontes eodem ordine coniuncti extant, tum inde quod, quae apud illum typographorum Basileensium *) culpa pro scholii verbis his *Σιμωνίδης ποτὲ μὲν λευκὸν ποτὲ δὲ πορφυροῦν* leguntur *Σιμωνίδης ποτὲ δὲ πορφυροῦν*, ut sensu carentia Eudocia omittit. Integrum scholii textum dat Romana editio 1523. Verba *καὶ δέρας — ἐνέργειαν* Flach p. 79 et 172 ex anonymo de incredibilibus (ed. Westermann mythogr. p. 321) vel potius ex scholio aliquo eius fonte derivata esse arbitratur. Ab Eudocia non ex hoc fonte, sed e Phavorino hausta ea esse docuimus; verum ne ille quidem anonymo utitur, sed Zonarae loco laudato, e Suida excerpto.

His Flachii exemplis duo mihi addere liceat, quibus Phavorini editione Basileensi a. 1538 usum esse violarii auctorem appareat.

1. *Περὶ Ἀμαδόκων*. Eud. p. 37.

Harpocration i. v. *Ἀμάδοκος*: *Ἰσοκράτης Φιλιππικῷ· δύο γεγόνασιν οὗτοι, πατὴρ καὶ υἱός, ὃς καὶ Φιλίππῳ συμμαχήσων ἦλθεν εἰς τὸν πρὸς Κερσοβλέπτην πόλε-*

*) In Romana editione ea verba legi Guil. Kuester popularis meus philologiae in academia Lipsiensi deditus mecum communicavit, cuius liberalitati omnia, quae de Romana Phavorini editione proferam, debere me grato animo fateor. Argentorati enim una Basileensi uti mihi licebat.

μον· ἀμφοτέρων μέμνηται Θεόπομπος ἐν τῇ ια΄ τῶν Φιλιππικῶν.

Phavorinus Bas. p. 133: *Ἀμάδοκος, Ἰσοκράτης Φιλιππικῷ· δύο γεγόνασιν οὗτοι, πατὴρ καὶ υἱός. ὃς καὶ Φιλίππῳ συμμαχήσων, ἦλθεν εἰς τὸν κερσοβλέπτειν* (*τὸν κερσοβλέπτην* ed. Rom. 1523) *πόλεμον. ἀμφοτέρων μέμνηται Θεόπομπος, ἐν πρώτῳ τῶν Φιλιππικῶν.*

Eudocia p. 37: *Ἀμάδοκοι, δύο γεγόνασιν, πατὴρ καὶ υἱὸς, ὡς Ἰσοκράτης Φιλιππικῷ. οἳ καὶ Φιλίππῳ συμμαχήσοντες, ἦλθον εἰς τὸν κερσοβέπτειν πόλεμον. ἀμφοτέρων μέμνηται Θεόπομπος ἐν πρώτῳ τῶν Φιλιππικῶν.*

Miror quod Flach, quamquam codicem Eudociae contulit*), tamen l. l. p. 105 in violario hoc loco extare affirmat *τὸν κατὰ Κερσοβλέπτου πόλεμον*, cum *τὸν κερσοβλέπτειν* ibi legatur, servatum illud e Basileensi Phavorini editione et e duplici operarum mendo ortum. Romanae enim operae *πρὸς* praepositione omissa *τὸν κερσοβλέπτην* effecerant; e quo quod Basileenses fecerunt *τὸν κερσοβλέπτειν* paulo etiam, si fieri potest, ineptius, id cum servet Eudocia quae dicitur, quin post annum 1538 scripserit dubitari nequit.

2. *Περὶ τοῦ Θαλῆ* Eud. p. 228. Fontes glossae sunt Suidas et Phav. p. 880. Atque Suidae quidem haec debentur: *Μιλήσιος* — *ἀθάνατον* et *φέρεται αὐτοῦ* — *ἄλλα πολλά.* Quae Flach p. 43 e Suida posse hausta esse negat; neque enim commemorari apud illum inter Thaletis libros titulum *περὶ ἐκλείψεως*, quem extremum nominat Eudocia. At finxit eum titulum falsarius e Suidae verbis *ἐκλείψεις τε καὶ ἰσημερίας κατείληφεν*, qualia non pauca illum finxisse infra docebitur. Reliqua e Phavorino deprompta sunt, qui fontibus utitur his: Schol. Arist. Av. 1010 (*τῶν ἑπτὰ φιλοσόφων εἷς γέγονεν* et *ἦν δὲ ἐπὶ γεωμετρίᾳ διαβεβοημένος*) et Scholiis Ar. Nub. 180 Aldinis. Fontem autem Eudociae Ba-

---

*) Nescio an magis etiam mirandum sit, quod idem vir doctus in editionis suae apparatu critico *κερσοβλέπτειν* ut codicis Parisini lectionem recte laudat.

sileensem Phavorinum esse inde apparet, quod typographorum Basileensium vitium apud Eudociam in codice*) servatum est *παραιωθήσωνται*, cum Romana editio cum scholio recte *περαιωθήσωνται* habeat.

Quae si recte disputata sunt, non ante annum quo Basileensis Phavorini editio in lucem emissa est, i. e. non ante annum 1538 Eudociae violarium extitisse dilucidum fit.

Ac ne quis forte interpolatione ea in violarium irrepsisse existimet, iam, quam late Phavorini in eo usus pateat, exponendum est. Quamobrem non alienum videtur ab hoc loco eorum fontium, quibus omnino usa videatur Eudocia (liceat enim eo nomine appellare falsarium) dare conspectum.

I A. Phavorini editio Basileensis a. 1538.

I B. Fontes, quos partim ipsos adhibuit Eudocia, partim a Phavorino excriptos accipit:

a. Pollucis onomasticum.
b. Eratosthenis catasterismi.
c. Eustathii in Homerum commentarii.
d. Scholia Apollonii Rhodii.
e. Scholia Hesiodi.

II. Fontes praeter Phavorinum in mythologica potissimum parte usurpati:

a. Nonni abbatis in IV S. Gregorii theologi orationes scholia.
b. Codex Parisinus 2600 miscellaneus (de quo cf. infra).
c. Cyriaci Anconitani epigrammata per Illyricum reperta.
d. Athenaeus. Stephanus Byzantius. Nicandri et Oppiani scholia. Anthologia Planudea. Sophoclis et Euripidis editiones s. XVI impressae. Cornuti et Palaephati editio Basileensis a. 1543. Philostrati editiones Aldinae. Annalium scriptores Byzantini: Codinus, Ioel, Cedrenus.

*) Flach in apparatu critico vitii huius mentionem omittit.

III. Fontes in solis vitis usurpati: Suidae editio Aldina 1514 et Diogenis Laertii editio princeps Frobeniana a. 1533. Theophilus Antiochenus. Nemesius.

Hunc fontium conspectum si quis cum Flachiano (p. VII) comparaverit, lexica fere omnia scholiaque permulta, quae ab illo commemorantur, hoc loco desiderari mirabitur. Sed eorum vices apud nos Phavorinus agit. Quae enim antea ex Etymologico M., Hesychio Alexandrino, Harpocratione, Photio, e scholiis Aristophanis et Homeri, e Tzetzarum ad Lycophronem commentariis, aliis ipsis Eudocia hausisse videbatur, aliaque permulta quae ex Apollonii Rhodii scholiis Florentinis, ex Eratosthenis catasterismis, aliis deprompta dicebantur esse, Phavorini copiis debentur, ita ut, quem in biographicis locum obtinet Suidas, paene eundem in reliqua parte occupet Phavorinus.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIUS.

§ 1. Quoniam singulos locos enumerare longum est — sunt enim quadringentae vel quingentae glossae glossarumve partes — gravissimos considerare satis est. Ut autem idem fere qui apud Flachium summorum fontium ordo sit, ab ETYMOLOGICO MAGNO ordiamur. Ex quo quos Flach in violario extare adfirmat locos circiter quadraginta, eos fere omnes a Phavorino ex Etymol. M. sumptos indeque in violarium translatos esse facile intellegitur. Solet enim Eudocia Varini glossas partim ex Etymol., partim ex aliis fontibus sumptas eadem singularum partium dispositione transcribere. Cuius rei exemplum sufficit unum p. 87 *περὶ Βάκχου*. Fontes glossae sunt hi: 1) *Βάκχον — κλαυθμὸν, Φοίνικες*. Phavorino haec deberi (p. 349) inde apparet, quod duos fontes a) Schol. Arist. Equ. 406 (*Βάκχον — ἐστέψαντο*), b) Hesychii glossam (*καὶ Βάκχον — Φοίνικες*) eodem ordine apud illum coniunctos legimus, accuratius autem scholion ille

excribit quam Eudocia, velut *Βάκχους ἐκάλουν* post *ὄργια* cum scholiis servat Phavorinus, omittit Eudocia. || 2) *Βάκχος — παιδιαῖς* Cornut. 30. || 3) *Βάκχαι δὲ — ὀπαδοὶ Βάκχου* (Suidas i. v.) Phavorinus p. 349. || 4) *καὶ Βασσάραι — ἠσχολεῖτο* (Eust. Hom. p. 989) Phav. p. 356. || 5) *ἄλλοι δὲ — ἐπόμπευον.* E Phavorino p. 391 haec profluxisse inde colligitur, quod isdem verbis apud eum coniuncta leguntur ex Etymol. M. 214, 39 *Βρόμιον — βροντῆς* et *ἢ ὅτι — ἐπόμπευον*, quae unde habeat Phavorinus, non reperio. Ceterum hoc loco in codice vestigia originis violarii apparent haec: post *παιδιαῖς* rasura litterarum rubro scriptarum indicio est codicis Parisini librarium i. e. falsarium, cui violarium debetur, post excriptas duas e Phavorino et e Cornuto partes finem facere voluisse glossae novaeque titulum posuisse (nam rubris litteris eiusmodi titulos distingui solere p. 4 docui), inventis autem quibusdam eiusdem argumenti e Phavorino glossis titulo illo eraso verba *Βάκχαι δὲ* et quae sequuntur usque ad finem adposuisse. Praeterea idem librarius haec adscripsit: *ἢ βρόμιος παρὰ τὸν βρόμον· καὶ γὰρ κ. τ. λ.* usque ad *ἐν ὄρεσι σὺν βάκχαις* (cf. verba glossae); haec rubris lineis transductis deleta in margine extant. Incidit enim sine dubio librarius ineptus aliquanto postquam glossam scripsit, apud Phavorinum in illum locum p. 391 oblitusque iam antea eadem se excripsisse in margine posuit, neque acta se agere nisi sub ipsum finem animadvertit.

Ceterum praeter locos a Flachio congestos non desunt in violario alii, quorum summus fons sit Etym. Magn.: velut p. 127 *Δωδωναῖος Ζεὺς — Ἀκεστόδωρος ἱστοροῦσι*, ex Etym. M. 293, 3 habet Phavor. p. 541, e Phavorino Eud., non e Scholio Homeri Il. XVI, 233, id quod falso adfirmat Flach p. 115. Eadem ex eodem fonte hausta p. 200 in textu et p. 108 in margine habet Eudocia.

Neque vero omnia quae dicit Flach re vera ex Etymologico M. originem ducunt; velut p. 118 *περὶ Διονύσου. τὸν δὲ Διόνυσον — Διὸς μηρόν.* Haec ex Etymologico M. 277, 35 excerpit Zonaras p. 508, Zonaram describit Phavorinus p. 515, Phavorinum expilat Eudocia: *σὺν κέρασι γεν-*

νώμενος Et. M., *κέρασι γεννώμενος* Zon., *κέρασι γενώμενος* Phav. Eud. Neque in eadem glossa p. 119 verba *ἢ ὡσανεὶ Διάλυσος — τοῦ λ εἰς ν* ex Etym. M. p. 277, 51, sed cum illius glossae maxima parte e Cornuti editione Basileensi sumpta sunt. Cf. Osann. ad Corn. p. 173 ad v. *διάλυσος*.

P. 151 *περὶ τοῦ Ἐρεχθέως* tota glossa secundum Flachium ad Etymol. M. p. 371, 34 redit. At ibi non extant verba *ἢ παρὰ τὸ ἐρέχθω τὸ κινῶ*. Immo haec est glossae origo: 1) *Ἐρεχθεὺς — κινῶ* Phavorino debentur, quippe apud quem eodem ordine conexae legantur duae partes: *Ἐρεχθεὺς — ἐν τῇ γῇ* Et. M. l. l. et *ἢ παρὰ — κινῶ* Tzetz. Lyc. 158. ‖ 2) Quae sequuntur aut e Nonno ad S. Gregorii in Iul. inv. II, 27 aut e suo ipsius violario p. 7 habet Eudocia.

P. 200 *περὶ τοῦ Διός. καὶ ἑρκεῖος — στέγη*. In Etym. M. 375, 23 cum haec non omnia extent, alio fonte Eudocia usa sit necesse est. Et re vera *Ἑρκεῖος — θάνῃ* Suidae debet Phavorinus p. 750, Phavorino Eudocia. ‖ *βωμοὶ — ἵδρυνται* Suidas, *βωμὸς — ἵδρυται* Phav. Eud. ‖ *οἷς εἴη* Suidas, *οἷς ἦν* Phav. Eud. ‖ *πρὸς κίονα ἑρκίου στέγης* Suid. Phav., *πρὸς κίονα στέγης* Eud. ‖ *μάστιγι πρῶτον νῶτα* Suid., *μάστιγι πρῶτα* Phav. Eud.

P. 206 *Λέγεται δὲ Ἥλιος — γένεσιν ἔχων* non cum Etym. M. 426, 46, sed cum Tzetza ad Hesiodi opera et dies 154 ad verbum congruunt.

Non inveni apud Phavorinum glossas has: P. 260 *Περὶ Κεφάλου*. Cf. Etym. M. 144, 22. Quam glossam propter nimiam in verbis discrepantiam non ex Et. M., sed alio e fonte adhuc delitescente fluxisse existimem. Nec magis contigit mihi ut deprehenderem, unde p. 394 verba *οἱ δὲ ἀκριβέστεροι — ἀπὸ ἄρκτου* ducta sint: quae neque apud Phavorinum videntur extare neque Etymologico M. p. 144, 23 ipso usum esse hoc loco falsarium facile mihi persuaserim, quoniam in reliquis illo fonte abstinuit.

Quae cum ita sint, non est cur cum Flachio interpolatoribus aliquot locos attribuamus. Neque altera manus, sed ipsius falsarii manus in margine codicis adscripsisse mihi videtur verba p. 4 *Ἀλαλκομενηΐς — Βοιωτοῦ*. Nam una ea-

demque manus totum codicem Parisinum 3057 exaravit. Neque, ut semel dicam, interpolationum vestigia in violario quaerenda sunt, cum unius hominis industriae totus liber debeatur; quem si quis interpolatorem nominare voluerit, nihil ego impediam.

§ 2. Ex HESYCHIO ALEXANDRINO praeter locos a Flachio p. 103 sq. collectos alii quoque in violario extant, velut p. 30 in glossa *περὶ Ἄϊδος κυνέης* verba *Ἄϊδος κυνέη — ἀλλήλοις* et *καὶ ἄϊδος εἰς ᾅδου* et p. 200 *καὶ ἐπάρχιος — ἐπιπολύ.* Haec omnia e Phavorino ducta sunt. In glossa *περὶ Λυγδάμιδος* p. 279 initium usque ad verba *ναὸν τῆς Ἀρτέμιδος* non ex integriore aliquo fonte fluxerunt; quod enim ab Hesychio et Phavorino abest *ἐν Ἐφέσῳ*, id cum codicis in margine extet, ex insequentium fonte, Eustathio ad Dionys. Per. 823 petitum a falsario esse elucet.

§ 3. Neque magis HARPOCRATIONEM Eudocia inspexit ipsum, sed quidquid ex eius lexico in violario legitur, e Phavorino descriptum est. Indicem locorum vide apud Flachium p. 104, cui addenda una glossa *περὶ Θεόγνιδος* p. 227 e Phavorino p. 892 deprompta tota. Phavorinus enim fontes adhibuit Harpocrationem i. v. (— *Ἑλληνικῶν*) et Suidam i. v. Flach p. 83 immerito de Scholio Arist. Ach. 11 loci originem repetit nec melioribus de causis de interpolationibus cogitat. Ipsam Suidae glossam p. 232 exhibet Eudocia. ‖ De Dodona glossam, ex qua p. 126 *Δωδώνη — Θετταλικήν*, et p. 127 *Δωδωναῖος Ζεύς* et quae sequuntur in violarium venisse contendit Flach*) p. 104, apud Harpocrationem frustra quaesivi. Immo his e fontibus Eudociae glossa conflata est: 1) *Δωδώνη, πόλις Μολοσσίδος, ὡς ὁ τῶν ἐθνικῶν — Δωδωναίου Διός* ex Eust. Hom. p. 335 habet Phavor. p. 541, e Phavorino Eud. ‖ 2) *ἐν τῇ . . . Ἠπείρῳ κειμένη | ἐν ᾧ ἵσταται δρῦς — προφητίδων | εἰσίεσαν — λέγει ὁ Ζεύς | τὸ*

*) In editione violarii idem v. d. Stephani Byz. glossam *Δωδώνη* huius capitis fontem statuit.

δὲ περὶ τοῦ λέβητος — ἐνέβαλλεν e Nonn. Greg. Naz. II, 19. ‖ 3) παλαιᾷ et ἐν ᾗ — μαντείας e Nonn. Greg. Naz. S. lumin. 7. ‖ 4) Δία, ἤτοι τὸν ἀέρα — ἱερὰ τῷ Διΐ ex ipso Eust. ad Hom. p. 594. ‖ 5) ταύτην τὴν δρῦν — διὰ τὸ ἄνα (Eust. Hom. 1057) Phavor. l. l. ‖ 6) καὶ ἄλλως — ἱστοροῦσι (Et. M. 293, 3) Phav. l. l.

Glossam περὶ Πολυγνώτου p. 340 ex Harpocratione deprompsit Suidas, e Suida Phavorinus p. 1536, e Phavorino Eudocia; vitium enim ἐν Ἀκείῳ pro ἐν Ἀνακείῳ commune violario cum utraque Phavorini editione 1523 et 1538, cum in Suidae codice nullo extet, e Phavorino haec, non e Suida sumpta esse comprobat.

Ipso Harpocratione quin usa sit Eudocia, dubium esse negat Flach propter servatum ex eo lemma Ἑκάτης νῆσος viol. p. 144. At ut tota illa glossa, ita lemma illud e Phavorino translatum est.

Ex eadem familia atque codicem Harpocrationis epitomae »omnium antiquissimum« Palatinum, quem E nominat Dindorf praef. p. XV, ut librum ab Eudocia usurpatum esse demonstret, lectionem κατὰ Κερσοβλέπτου cum eo exhibere violarium p. 37 Flach contendit, non recte; nam codex violarii, ut supra dixi (p. 10), κερσοβλέπτειν cum Basileensi Phavorino tradit. Neque ex ullo Harpocrationis codice inversum membrorum ordinem p. 43 περὶ Ἀνθεμοκρίτου habet, sed e Phavorino, eidemque glossam περὶ Ἀμφιδρομίων p. 39 totam deberi supra (p. 8) docuimus; in qua quae verba omittit Eudocia Λυσίας — ὁ λόγος, ea quod etiam ab epitome Harpocrationis Palatina absunt, non est quod miremur: nihil enim cum epitomatore Eudociae commune est nisi brevitatis studium.

§ 4. Eidem Phavorino etiam ea debentur, quae e PHOTIO desumpta teste Flachio p. 105 in violario extant. Nam p. 199 Ὁμολώϊος — ἐν Θήβαις e Phavor. p. 1358 sumpta sunt, cuius est fons Suidas, non Photius: καὶ ὁ ἐν Θεσσαλίᾳ Phot., καὶ ἐν Θεσσ. Suid. Phavor. Eud. ‖ Ὁμολώας Phot., Ὁμολωΐας Suid. Phavor. Eud. ‖ ὁ Ἀριστοφάνης Phot., ὡς

Ἀριστοφάνης Suid., *ὡς Ἀριστόδημος* Phav. Eud. || Neque, ut opinatur Flach p. 82, librarius vocem *Δημήτηρ* ante *Ὁμολωΐα* sub finem ipse omisit, sed non legit apud Phavorinum.

Non Photio 249, sed Scholio Theocr. XIV, 5 Phavorinus p. 1598 ea debet, quae Eudocia ex eo p. 368 in glossa *περὶ Πυθαγόρου* habet *μαθηταὶ — Πυθαγορισταί*: *γεωμετρικά* Phot., *τὰ γεωμετρ.* Schol. Theocr. Phav. Eud. || *καὶ οἱ μὲν* Phot., *τούτων οὖν* (*οὖν* om. Eud.) *οἱ μὲν* Schol. Theocr. Phav. Eud. || *ἔξωθεν ζηλωταί* Phot. Suidas i. v. Schol. Theocr. libri quidam, *ἔξω ζητηταί* Scholii textus vulgatus Phav. Eud.

§ 5. Ad ZENOBIUM paroemiographum auctorem quos Flach p. 105 locos refert, eos et ipsos Phavorinus suppeditavit: P. 226 *περὶ Θαμύριδος* glossa e Phavorino p. 883 sumpta est, cuius sunt fontes Schol. Hom. Il. II 595 (initium — *ἐστέρησαν*) et Suid. i. v. || P. 304 *περὶ Ναννάκου*. Non Zenobium VI 10, sed Suidam excribit Phavorinus 1289. Qui quod addit *σφόδρα παλαιῶν καὶ* (Suid. *πάνυ*), id servatum ab Eudocia indicio est ex ipso Phavorino hanc glossam fluxisse.

§ 6. ZONARAE lexicon primus, ni fallor, cum violario comparavit Flach, quamquam ne is quidem accurate. Negat enim l. l. p. 5 in adnotatione Zonaram in lexico compilando Eudociae opere usum esse. Atque illud quidem recte negat, quippe cum aliquot saeculis ante falsae Eudociae tempora ille scripserit; nec tamen adhuc observatum esse video in Zonarae lexico legi non pauca adeo Eudociae similia, ut alterum alterius fontem esse obiter intuenti verisimile fiat. Nec vero ullum verbum e Zonara ipso sumpsit falsarius, sed illa quoque omnia e Phavorino habet; velut p. 16 *περὶ Ἀσκληπιοῦ* verba *ὠνομάσθη — καὶ σκέλος*, quae ex Etym. M. 154, 38 ducta Flach existimat, Eudocia a Phavorino p. 296 mutuatur, ille a Zonara p. 311, Zonaras ex Et. M. l. l.

P. 30 *περὶ τῆς Αἰγίδος. καὶ ἄλλως· αἰγὶς — καταιγίδας.* Glossam Zonarae p. 76 e Suida et Etym. M. 27, 27 conflatam isdem verbis Phavorinus p. 59 exhibet, cuius ex-

cerptum dat Eudocia: *ὥς τινες φασὶν* Zon. cum Etym. M., *ὡς ἄν τινές φασιν* Phav. Eud. ‖ *κινουμένην. Αἰγίδες, καταιγίδες* Et. M., *κινουμένας αἰγίδας καὶ καταιγίδας* Zonar. Phav. Eud.

Eadem est origo aliarum glossarum multarum; velut p. 81 *περὶ Ἀστάρτης* (Zon. 321) Phav. 300. ‖ P. 99 *περὶ Γοργόνων* (Zon. 448) Phav. 431 ‖ P. 121 *εἰραφιώτην — μηρῷ τοῦ Διός·* Et. M. 302, 53 excerpit Zonaras p. 627, e Zonara habet Phav. p. 580, fons Eudociae. ‖ P. 369 *περὶ τῆς Ῥέας. ἔθνος — κορύβαντες*: non Etym. M. 531, 5, sed Zonaram p. 1232 transcribit Phav. p. 1093, ex quo habet Eudocia.

§ 7. SUIDAE lexicon Eudociae notum fuisse Flach negat; qua de re infra mihi fusius erit agendum, ubi de parte biographica verba faciam; hoc loco de iis Suidae locis, qui in reliqua violarii parte occurrunt, pauca dicam. Sunt enim ii loci non pauci (cf. Flach p. 76 sq.), omnes autem per Phavorinum in violarium venerunt.

P. 20 *περὶ Ἀβάριδος ὀϊστοῦ. Ἄβαρις — πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα* non Suidae debentur neque Schol. Gregor. Naz. carm. 64, ut opinatur Flach, sed Nonno ad Gregorii Naz. orat. funebr. Bas. Magni (cf. Creuzeri Meletem. p. 76): verba *πατέρα δ᾽ ἔσχε — θεογονίαν* non est cur cum Flachio e Suida interpolata existimemus, immo Phavorinus e Suida, e Phavorino habet Eudocia: *Ἕβρου* Suid., *Εὔρου* Phav. Eud.

P. 36 *περὶ τῶν ἀλιτηρίων.* Flachium si audis, Scholio Arist. Equ. 443 et Suidas et Eudocia utuntur. At in scholia Aristophanis primus Musurus in ed. Aldina haec intulit. Suidam Phav. p. 117 excribit, quem ad verbum exprimit Eudocia.

P. 80 *περὶ ἀπίδων. ἄπιδες — εὐωχοῦντες αὐτοῖς* secundum Flachium e schol. Greg. Naz. eodem, quo utuntur Nonnus II 33 et Cosmas p. 180, Suidas et Eudocia sumunt; verba *λέγεται — βασιλεύς* idem e Suida interpolata esse iudicat. Neutrum recte, si quid video. Utramque enim partem e Suida Phav. p. 238 exhibet, unde hausit Eudocia.

P. 92 *περὶ Βήρου.* Glossam e Procopio de b. Goth. III 27 Suidas, e Suida Phav. 365, e Phavorino habet Eudocia.

P. 143 *περὶ τοῦ ἐς Κυνόσαργες λεγομένου.* Non Scholion Greg. Naz. (Nonn. I 60), sed Suidam i. v. *εἰς κυνόσαργες* excribit Phavor. p. 587, a quo hanc glossam mutuatur Eudocia. *μυρία* pro *μηρία* typographorum apud Phavorinum vitium servat Eudociae codex; Nonni locum eadem describit, p. 264.

Nec praeter locos a Flachio p. 76 sq. prolatos alii desunt per Phavorinum e Suida in violarium ducti; velut p. 198 *καὶ γὰρ αὐτὸς παραδοὺς — ἰδίοις συγγράμμασιν* verba a falsario e Phavorino p. 1501 illata, non e Schol. Greg. Naz. pleniore, ut opinatur Flach p. 147, sumpta sunt. Phavorini autem fons est Suidas i. v. *Πῆκος.* || P. 208 *Ὅπου καὶ τὸ αὐτῆς εἴδωλον ἵδρυται — ἀλληγορεῖται ἡ Ἥρα* non Palaephato debet Eudocia (cf. Flach p. 28), sed Phavorino p. 866, cuius est fons Suidas i. v. *Ἥρα.*

Et de lexicis quidem hactenus: nunc de reliquis fontibus, quos Eudociae Phavorinus suppeditavit, praecipue de scholiis dicendum est.

§ 8. ANONYMI DE INCREDIBILIBUS (Westermann scriptores hist. poet. p. 321 sq.) duo apud Eudociam capita extant IV et V, utrumque e Phavorino depromptum. Anonymi caput V p. 211 in viol. legitur sumptum e Phav. p. 867 (*φασὶ δὲ Ἡρακλέα Ἀχελῴῳ — Δηϊάνειραν ἔλαβεν*): *νεῖκος ἦν ἑκατέροις κρατερόν* Anonym., *νεῖκος ἦν ἑκατέροις* Phav. Eud. || Cap. IV p. 344 *κατὰ δὲ τὴν ἀληθῆ — κατασκευήν* una cum praecedentibus inde a verbis *λέγεται δὲ καὶ* (Tzetz. Lyc. 34) e Phavor. p. 1548 descripsit Eudocia.

§ 9. In TZETZARUM AD LYCOPHRONEM SCHOLIIS cum sescentis locis eadem legantur quae apud Eudociam, ea olim erat virorum doctorum sententia, ut ex isdem quibus Tzetzas fontibus sua hausisse Eudociam arbitrarentur. Accuratius eos locos primus cum Eudocia comparavit C. G. Mueller in editionis scholiorum illorum Lipsiensis a. 1808 praefatione p. XXVII sq., qui cum vitia, quibus codices Vittemb. 2 et 3 inquinati sunt, paene omnia etiam in violario

obviam fieri observasset, in eam deductus est sententiam, ut ab Ioanne Tzetza ad emendanda fratris Isaaci scholia Eudociae librum adscitum esse existimaret. Contra Flach p. 131—140 ita hanc quaestionem explicat, ut Eudociam eodem veterum Lycophronis scholiorum libro corruptissimo usam esse quo Tzetzas fratres statuat, ingentemque vitiorum foedissimorum Eudociae cum codd. Vitt. 2 et 3 communium molem a Tzetzis ipsis e scholiorum libro patienter excriptam esse sibi persuasit. Quod si quis Flachio credat, ei Tzetzae ipsis Tzetzis ineptiores fuisse putandi sint. An pro versibus his:

Παιδνῷ δ' οὔνομα θῆκε Πυρίσοον, ἀλλ' Ἀχιλῆα
Πηλεὺς κίκλησκε χείλεος εἵνεκά μιν.
Κείμενον εἰνὶ κόνει σποδιῇ ἐπὶ πῦρ ἀπάμερσε
Χείλεος αἰθομένου ἀπροφάτως ἑτέρου.

ab homine Graecarum litterarum perito neque plane Graecorum versuum pangendorum ignaro scribi potuerunt verba haec sensu plane carentia (cf. Eud. p. 225): *παῖδα· γνῶ δ' οὔνομα θῆκε πυρίδοον· ἀλλὰ Ἀχιλλέα Πηλεὺς κέκληκεν, ἐχίλος εἵνεκά μιν κείμενον ἐνὶ κονίῃ σποδιῇ, ἐνὶ πῦρ ἀπέμερσε χίλεος, ἅτε βίον ἀπροσφάτως ἑτέρου*? Haec eorumque similia stulti et indocti librarii peccare potuerunt, non potuerunt Tzetzae fratres, quos in litteris Graecis non mediocriter versatos esse constat.

Improbavit Flachii sententiam nuperrime Scheer in Mus. Rhen. XXXIV p. 473 adnot. 1, qui cur ipse Tzetzam Eudocia usum esse credat, non assequor. Quotquot enim locos p. 129 sq. Flach enumerat aliosque non paucos e codice Tzetzae deterrimo similique Vittembergensium illorum habet Phavorinus, e Phavorino Eudocia. Exempla proferam pauca.

P. 43 *περὶ Ἀντικλείας*. Tzetzam in Lyc. 786 describit Phavorinus p. 207, Phavorinum Eudocia: *ὕσαντος πολὺ τοῦ Διός* Tzetz., *ἄσαντος πολίτου τινός* Phav. Eud. Nihil igitur est tribuendum iis, quae de fonte Eustathii et Eudociae et de litteris uncialibus Flach p. 112 pronuntiat.

P. 103 *περὶ τῆς Δανάης*. Duae Phavorini glossae, p. 98 *Ἀκρίσιος* (Schol. Ap. Rh. IV 1091) et p. 449 *Δανάη* (Tzetz.

Lyc. 838) in unam transfusae sunt ab Eudocia. Priori haec debentur: 1) p. 1041 *χρωμένῳ — ὁ Ζεὺς τῆς παιδὸς* || 2) *τῶν δὲ γίνεται — Σέριφον τὴν νῆσον* || 3) *ἦσαν γὰρ — καὶ τρέφει.* || Praeterea *τοῦ ὀρόφου* pro Tzetzae verbis *τινος ὀπῆς*. Reliqua omnia ex altera glossa profluxerunt: *μετὰ τροφοῦ* Schol. Ap., *μετὰ τῆς τροφοῦ* Phav. Eud. || *τριέτης καὶ τετραέτης* Schol., *τριετὴς καὶ τετραετής* Phav. Eud. | *τὸν ὑπὸ τὸ ἑρκίον Διός* Schol., *τὸν ὑπὸ τοῦ ἑρκίου Διός* Phav., *τὸν τοῦ ἑρκίου Διός* Eud. Neque ipso Tzetzae scholio, sed Phavorino usam esse Eudociam cum aliis indiciis tum eo patet, quod verba sub finem a Phavorini editionibus Romana et Basileensi omissa *τὴν οἰκίαν τοῦ Πολυδέκτου καὶ συμπόσιον λαμπρὸν ἐφευρών, δείξας* etiam in violario desiderantur.

P. 264 *Περὶ τῶν Κύκνων.* Totam glossam Phav. p. 1124 debet Eudocia exceptis p. 265 verbis *Ὁ Ζεὺς ἐρασθεὶς — ἄστρον ὁ Κύκνος* e Nonno II 3 petitis. || *Κύκνος — Πίνδαρος ἱστορεῖ* e Schol. Pind. Ol. II 82 habet Phavor.; *ὡς καὶ Πίνδαρος ἱστορεῖ* ab eo additum servat Eudocia. Tum verba *οὗτος ἐλέγετο* — p. 265 *υἱὸς Ἀπόλλωνος* e Tzetza ad Lyc. 232 provenerunt inverso duarum partium ordine. Quod enim in scholio extremum est *οὗτος ἐλέγετο, ὅτι ἄτρωτος ἦν — μύθοις, ὅτι ἄτρωτος ἦν,* alteri parti praemittit Phavorinus. Quem ordinem cum servet Eudocia, hoc quoque loco Phavorino eam usam esse consectarium est. Ceterum *οὗτος ἐλέγετο — μύθοις, ὅτι ἄτρωτος ἦν* non recte Palaephato tribuit Flach p. 26 et 28.

P. 403 verba *καὶ Ναυπλίου τοῦ ἐκείνου πατρὸς — διαφθαρῆναι* perperam eidem fonti tribuit Flach p. 155 et 156 adn. 1 atque ea quae praecedunt inde a p. 402 *ὅτι ἐπὶ Νέρωνος*. Superiora illa infra docebo e Cyriaco Anconitano ducta esse. Inde a verbis *καὶ Ναυπλίου* fons est (Tzetz. Lyc. 384) Phav. 1413. Eundem locum Eudocia etiam p. 321 exhibet.

Neque tamen omnia, quae vult Flach, revera apud Tzetzas extant: velut p. 146 *περὶ Ἕλλης* non cum Tzetz. Lyc. 22, sed cum argumento Apollonii Rhodii Parisino consentit

Eudocia. || Neque p. 286 in glossa *περὶ Μεγάρας* quicquam e Tzetz. Lyc. 38 habet Eudocia, sed totam ex Eustath. ad Hom. p. 1683 sumpsit. || P. 376 *περὶ τῆς Σκύλλης. Μυθεύεται — θηριωδῶς* non Tzetzes Lyc. 45, sed Nonn. I 52 Eudociae fons est. || P. 411 denique cur e Tzetz. Lyc. 762 esse dicat Flach verba *Φαίδρα — διαλαμβάνων*, non perspicio. Neque enim ibi neque ullo omnino Tzetzae loco Phaedrae aut Hippolyti mentio fit. Fons est Eust. Hom. 1688.

Iam vero videamus, quo iure Flach p. 134 Eudociam, quod nonnullis locis plenior sit Tzetzae scholiis, usam iis esse neget.

1) P. 85 *ὡς τοῖς πολλοῖς ἱστόρηται*, et *ἀκριβεῖ ζυγοσταθμήσει τρυτάνης τοῦ ζυγοῦ ὑπὲρ τοῦ νεκροῦ Ἕκτορος, λάθρα τῶν Ἑλλήνων, τῆς νυκτὸς* et *εἰς τὸ Ἠλύσιον πεδίον παραγενόμενος*. E scholio Tzetz. Lyc. 269 ducta haec esse posse recte negat Flach. Nam e Phavorino p. 340 proveniunt verba *ὁ δὲ Πολυξένης* p. 84 — *Ἀχιλλεῖ δέδωκεν* p. 85. Apud illum autem nescio quo casu (in Rom. et Bas. ed.) scholia Tzetz. Lyc. 269 et 270 ita coniunguntur, ut prioris omisso verbo extremo *δέδωκε* haec existant: *τὰ δῶρα ἃ Πρίαμος σκεθρῷ ταλάντῳ ἤτοι ἀκριβεῖ ζυγοσταθμήσει τοῦ ζυγοῦ.* Quae verba Eudocia descripsit et ut sensum aliquem loco daret, bene addidit verba nescio unde petita *ὑπὲρ τοῦ νεκροῦ Ἕκτορος λάθρα τῶν Ἑλλήνων τῆς νυκτὸς τῷ Ἀχιλλεῖ δέδωκεν*, fortasse etiam ab ipsa ficta. Tum verba *εἰς τὸ Ἠλύσιον πεδίον παραγενόμενος* verbis e (Tzetz. Lyc. 798) Phav. 340 petitis adicit ex eadem Phavorini pagina eademque e glossa, cui etiam infra debet verba *καὶ τοῦτο πρῶτος — ἔντιμον.* Iam *ὡς τοῖς πολλοῖς ἱστόρηται* levissimum est falsarii additamentum.

2) P. 108 *Κασταλίῳ τῷ Κρητὶ ἀποικίαν στελλομένῳ ὁ Ἀπόλλων* ex pleniore ad Lycophr. 208 scholio ducta esse immerito coniecit Flach. Immo tota glossa e Phavorino p. 465 descripta est, ubi duo fontes Tzetz. Lyc. 208 et Et. Magn. 255, 17 integri extant. Priori Phavorini glossae Eu-

docia debet initium usque ad *ὁμοιωθείς*, reliqua alteri: *Κασταλίῳ — ἐχούσας δελφῖνος*. *Ἡλιόδορος* Phav. Eud., *Ἡλιόδωρος* vel potius *Ἀπολλόδωρος* (cf. Muelleri adn. ad locum) Tzetz. ‖ *ὑπὸ δειράδι Παρνησοῖο* Tzetz., *ὑπὸ δειράδι* Phav. Eud. ‖ *τῶν τόπων* Et. M., *τὸν τόπον* Phav. Eud.

3) P. 210 *ὁ Λυκόφρων φησίν·* e Tzetzae codice habet Phav. p. 868, ex hoc Eudocia. Extant enim illa verba in quibusdam Tzetzae libris (cf. Muelleri adnot. criticam ad Tzetz. Lyc. 50).

4) P. 241 *ὅτε ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος ἀπόπλους — ἐπιδοθείσης τυθῆναι·* non e schol. Lycophr. 183, sed e Nonno ad Greg. Naz. or. fun. Basilii M. (cf. Creuzeri meletemata p. 70) habet Eudocia omnia inde ab *ὅτε ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος — ἔθυσαν οἱ Ἕλληνες*. Tum *ἔθνος — Ταῦροι* et *αὕτη οὖν ἡ Ἰφιγ. — τὴν Ἑλλάδα* e Nonn. I 7.

5) P. 298 *περὶ Μύρρας· οὕτω δὲ Ἀριστοφάνης παίζων λέγει* verba huic loco minime apta nescio qua de causa e Phavorini glossa *μυττωτῷ* paulo infra posita impudentissimus falsarius intulit.

6) P. 322 *περὶ τῆς Παλλάδος*. Totam glossam e Tzetz. Lyc. 355 deprompsit Phavorinus p. 1417, e Phavorino Eudocia: *Σιμωνίδης ὁ γενεαλόγος, καὶ ὁ Ἀπολλώνιος· ὑψηλῶν ὀρέων Πηλιάδες κορυφῇσιν ἐθάμβεον* Tzetz., *Σιμωνίδης ὁ γενεαλόγος Πηλιάδης ἐθάμβεον* Phav. Eud. Ceterum *χείρεσιν ἐπικραδέοντες ἐρετάων* ut apud Phavorinum ita in codice Eudociae vitiose exaratum est. *τὸν τόπον κληθῆναί φασιν. Ἕτερος δέ τις ἱστορικὸς οὕτω λέγει κληθῆναι* verba a Phavorino omissa, eadem a violario absunt. Luculentissimum denique falsarii vestigium glossae in fine deprehenditur hoc: Apud Phavorinum cum scholio Tzetz. Lyc. 355 coniunctum extat integrum eiusdem scholion ad Lyc. 356 ita, ut posterioris scholii lemma *τῆς μισονύμφου* nulla intermissa interpunctione post *εἰς τὴν Ἴλιον* sequatur. Quas ineptias cum servet Eudocia, de Phavorino huius quoque glossae fonte dubitari nequit. Neque ullo modo e scholio Lycophronis pleniore ea depromere potuit, quae a Tzetza et a Pha-

vorino absunt *ὡπλισμένη γὰρ ἡ φρόνησις — σταθηρόν*, sed aliunde ea sine dubio (ex Eustathio fortasse) intulit.

7) P. 406 denique *καὶ ταῦτα μὲν τὰ μυθικά·* non in fonte legit Eudocia, sed ut alia non pauca similia de suo addidit.

Neque magis nostro de his iudicio obstant, quae p. 135 sq. Flach exhibet. Quibusdam enim locis nimiam inter Tzetzarum commentarios et Eudociam intercedere differentiam dicit quam ut illi huius possint esse auctores. At nihil omnia illa exempla probant.

P. 106 *περὶ Δάφνης* non tota glossa, id quod Flach videtur existimare, Tzetz. Lyc. 6 fontem habet, immo nihil in ea non e Phav. p. 454 profluxit, ubi cum alios tum hos tres ille fontes transcribit: 1) Schol. Hom. Il. I 14. || 2) Schol. Arist. Pac. 1044. || 3) Tzetz. Lyc. 6. E prima glossa Eudocia initium accepit usque ad *ἐστέψατο*; tum *διὸ — ἐστεφανοῦντο* ex altera, tertia dedit finem.

P. 238 *περὶ τῆς Ἰνοῦς*. Phavorini glossam *Βύνη* p. 394 duobus e fontibus haustam (Et. M. 217, 3 et Tzetz. Lyc. 107) ita describit Eudocia, ut quae ille initio posuit (Etym. M. locum et Tzetzae scholii initium) ipsa extrema faciat. Praeterea verba *τοῦ πρότερον Μελικέρτου λεγομένου* falsarius in margine codicis Parisini aliunde addit idemque pro Tzetzae verbis a Phavorino servatis *ἐγὼ δὲ παρὰ τὸ βύω* ad celandam originem *ἢ παρὰ τὸ βύω* scribit. In reliquis summa religione Phavorini vitia tuetur: *πεσοῦσα εἰς θάλασσαν* Tzetz., *φεύγουσα* Phav. Eud. || *ἀπεπνίγη* Tzetz., *εἰς θάλασσαν ἀπέπτη* Phav. Eud. || *Ἀμφίμαχος* Tzetz., *Ἀμφίμαρχος* Phav. Eud. || *κατὰ συγκοπὴν βύνη* Et. M., *κατὰ συγκ. δύνη* Phav. Eud.

P. 406 denique nihil Eudocia habet, quod non e Phav. sumpserit. Initium — *σέλας* fere isdem verbis redit apud Phavorinum 1786: cuius tres fontes sunt: Eust. Hom. 345, Etym. M. 772, 49, Tzetz. Lyc. 177. Tum Eudocia usque ad *ἐπέθηκεν* ex eiusdem Phavorini pag. 1785 habet initium Eustathiani loci, eademque est origo Eudocianarum vocum

καὶ ἄλλως πάλιν ἡ ἀλληγορία — p. 407 *αἰκίζεσθαι*. Tzetzae loco a Phavorino excripto debentur verba *ἰστέον δὲ* — *πνεύματα*, neque quicquam ibi Eudocia continet, quin in fontibus legatur, quamquam membrorum ordinem mirum quantum turbat; verba *καὶ ταῦτα μὲν τὰ μυθικά*, ut supra (p. 24) monui, adiecit falsarius.

P. 407 *πρὸς τούτοις δὲ* verba usque ad finem e Schol. Apoll. Rh. Paris. II 1210 descripta sunt: *περιριφῆναι* Schol. Apoll. Laurent. et Flor., *περιρυῆναι* Schol. Paris. et Eudoc.

Lemmata denique ab Eudocia passim servata cur nisi e scholiis in margine alicuius Lycophronis codicis scriptis depromi non potuisse Flach existimet, non assequor. E Tzetzarum enim commentariis ea habet Phavorinus et ab hoc Eudocia.

Mitto quae p. 137 de Scholiis Lycophronis, de litteris uncialibus, de interpolationibus Flach exponit; satis enim mihi videor probasse neque eundem cum Tzetzis fontem neque ipsos eorum commentarios ab Eudocia usurpatos esse, sed lexicon Phavorini.

§ 10. Venio ad SCHOLIA ARISTOPHANIS, quorum permagnum numerum in violario latere dudum cognitum est. Collegit locos Flach p. 119 sq., verum neque omnes enumerat et satis multos immerito huic fonti vindicat; velut in glossa p. 30 *περὶ Ἄϊδος κυνέης* nihil e Schol. Arist. Ach. 365 repetitum est, sed tota Phavorino debetur composita ab eo e fontibus his: 1) Initium — *ὑπὸ Ἄρεος* Etym. M. 42, 13. ‖ 2) — *ἀλλήλοις* Hesych. ‖ 3) *καὶ ἄιδος εἰς ᾅδου* Hesych. ‖ 4) exitus non e Schol. Arist. sed e Suida petitus. Neque p. 103 caput *περὶ τῆς δαιμόνων λιχνείας* e Schol. Ar. Pac. 192, sed e Nonno II, 19 ad verbum transcriptum est.

Ipsa autem Aristophanis scholia Eudocia non evolvit, sed omnia, quae inde ducta esse in violarium existimabantur, Phavorini copiis inexhaustis debentur. P. 16 *περὶ τῶν Ἀσκληπιοῦ παίδων*, ad verbum cum Phavorino facit Eudocia, quamquam satis egregie ille a fonte (Schol. Ar. Plut. 701) recedit.

P. 20 *περὶ Ἀλκήστιδος* non e Schol. Vesp. 1240 habet Eudocia, neque e Schol. Homeri (cf. Flach p. 106), sed totam glossam e Phavorino p. 119 exceptis his: *ὡς δὴ μέλλοντος — ἀπέδωκεν Ἀδμήτῳ* et *ἔχει δὲ καὶ ἄλλως πῶς — ἐρρύσατο τὴν Ἄλκηστιν*, quae e Palaephati 42 editione Basileensi fluxisse infra docebimus. Reliqua Phavorinus suppeditavit fontibus usus his: Eust. Hom. 326 (initium usque ad *ὑπὲρ τοῦ παιδός*) et Schol. Plat. Conviv. 179[b] (non ipso Argumento Eurip. Alc.) *καὶ ἄλλως — γυναῖκα*. Phavorini operarum mendum *ἐπένθη* servat Eudociae codex; Villoison correxit *ἐπένθει*.

Legitur autem scholiorum Aristophanis apud Eudociam ea plerumque forma, quam a Musuro in Aldina editione interpolationibus plurimis effectam esse constat. Quam editionem Phavorinus videtur excripsisse:

P. 137 *περὶ Διαγόρου.* Glossa ad verbum e Phavor. p. 481 descripta. Fontes eius sunt Scholia Arist. duo: 1) ad Av. 1073, initium usque ad *λαβεῖν δύο*. || 2) ad Ran. 323, *ἔστι δὲ καὶ ἕτερος* usque ad finem. (Quid ex Hesychio Mil. desumptum in hac glossa extare existimet Flach p. 95, equidem ignoro): *ᾤκει ἐν Ἀθήναις* Schol., *ἐν Ἀθήναις ᾤκει* Ald. Phav. Eud. || *Μελάνθιος* Schol., *Μελάνθης* Ald. Phav. Eud. || *τῷ μὲν ἀποκτείναντι — τῷ δὲ ἄγοντι* Schol., *τὸν μὲν ἀποκτείνοντα — τὸν δὲ ἀγαγόντα* Ald. Phav. Eud. || *Μελάνθιος* libri, *Μένανδρος* Ald. Phav. Eud. Ceterum *χλευάζοντος* cur in *χλευαζομένου* mutarit Eudocia, perspici nequit. Mutavit autem, non legit in fonte: codex enim litteras *μέ* vocis *χλευαζομένου* in rasura habet.

P. 265 *περὶ Κύλωνος.* Scholion Ar. Equ. 443 Aldinum transcribit Phav. p. 1126. Nam quae sequuntur post *ἀλιτήριοι ἐκλήθησαν*, ea Musurus e Suida i. v. *ἀλιτήριοι* in Schol. Arist. intulit. Cf. Dindorf in Schol. Arist. vol. II 229. Phavorino autem, non ipso Scholio Aldino usam esse Eudociam eo docemur, quod *παρὰ τῷ Ἀριστοφάνει* verba a Phavorino sub finem scholii addita in violario p. 266 servata extant.

P. 274 *περὶ Λαμίας.* Scholion Arist. Pacis 757 Aldinum repetit Phavorinus, ex quo hausit Eudocia: *ἧς ἐρασθῇ-*

ναι Scholiorum libri, ταύτης ἐρ. Ald. Phav. Eudoc. || τῶν τέκνων αὐτῆς βαρυνομένη Scholiorum libri, αὐτῆς τῶν παιδίων βαρυθυμοῦσα Ald. Phav. Eud.

P. 374 περὶ Σεσογχώσιδος. Initium usque ad σημεῖον e Scholio Ap. Rh. IV 272 Parisino haustum est. Tum κοσμοκράτωρ — λέγεται e Phavor. p. 1642, cuius est fons Musuri scholion ad Aristophanis Nub. 397, de quo haec adnotat Dindorf: »illa de Sesonchosi (Psammetichum nominare debebat) Musurus ipse videtur composuisse«.

P. 420 περὶ Φρύνιδος. Phavorini p. 1846 excerptum e Scholio Ar. Nub. 967 Aldino isdem verbis describit Eudocia: κιθαρίσαι παρ' Ἀθηναίοις καὶ νικῆσαι Scholiorum libri, παρὰ Ἀθηναίοις κιθαρῳδικῇ νικῆσαι Ald. Phav. Eud. || Ἀριστοκλείδης Scholiorum libri, Ἀριστόκλειτος Ald. Phav. Eud. || ἅτινα ὡς μὴ ἀναγκαῖα ἐῶμεν in fine addit ipse falsarius.

Quam accurate Eudocia cum Aldina Aristophanis editione a. 1498 consentiat, iam R. Nitzsche animadvertit, nec tamen quid inde sequeretur perspexit. Flach illum consensum casu effectum esse p. 122 perperam censet. An casui tribuendum est, quod nullus locus ex Scholiis ad Thesmophoriazusas aut Lysistratam ipsis in violario invenitur? Nam p. 270 περὶ Κλειταγόρας non ipsum Schol. Lys. 1239, sed Suidam sequitur Eudocia. Satis autem notum est Aldi editionem Lysistrata et Thesmophoriazusis carere.

Neque rectius Flach negat e lexico aliquo hos locos sumi potuisse. Sane quidem Eudocia plura Aristophanis scholia in unam glossam transfundere poterat, quam sescenties constat varios fontes miscuisse et perturbasse. Sed plurimos eius generis locos iam a Phavorino compositos accepit. Plenior vero nostris scholiis Aristophaneis Eudocia nullo loco est; nam quae p. 16 habet ἀναπέπλασται δὲ τὰ ὀνόματα — ὑγείαν παρέχειν, ea ad verbum ex (Schol. Ar. Plut. 701) Phavor. p. 296 describit. || P. 290 περὶ Μίδου non e Schol. Ar. Plut. 287 ducta sunt verba λέγεται οὖν ἡ παροιμία — λανθανόντων, sed, sicut omnia inde a v. ἐλέγετο, e Phavorino p. 1260, cuius fontes sunt Schol. Ar. Plut. 287 et Suidas i. v.

In lemmatis denique in violario servatis non est quod moremur; omnia enim e Phavorino summa religione descripsit Eudocia.

§ 11. SCHOLIA HOMERI (non Eustathii commentarios dico, de quibus infra exponam), quotquot in violario excripta esse putantur, idem Eudociae subministravit Phavorinus. Exempla vide apud Flachium p. 114 sq.; neque tamen omnia, quae Flach congessit, exempla revera e Scholiis Homeri ducta sunt, neque omnia ille Scholia Homerica apud Eudociam obviam facta enumerat. Nam p. 30 *περὶ Ἄϊδος κυνέης* nihil e Scholio Hom. petitum extat; cuius de fontibus confer quae supra p. 25 exposuimus. || Neque e Schol. Hom. Odyss. I 383 glossa *περὶ Ἀντινόου* p. 43 ducta est, cuius origo adhuc me fugit. || P. 108 *ὅστις Δευκαλίων — ἱστοροῦσιν* verba in marginem codicis Parisini illata aut e violario p. 127 aut e fonte eius Phav. p. 541, quem ipsum fonte usum esse Et. M. 293, 3, non Scholio Hom. Il. XVI 233 supra p. 13 monuimus. || P. 278 *περὶ Λιτῶν* totam glossam Cornuto Basileensi a. 1543 deberi infra docebo. || P. 421 *περὶ Φυλέως* Phavorinum 1847 excribit Eudocia, Phavorinus Eustathium Hom. p. 305, non Scholion Hom. Il. II 629.

P. 441 denique Eudocia e Palaephati editione Basileensi a. 1543 glossae *περὶ Ὠρίωνος* extremam partem inde a verbis *Ὑριεὺς ἐ Ποσειδῶνος* deprompsit.

Praeter locos a Flachio commemoratos memoriam derivatam e Scholiis Homeri in violario deprehendi locis his:

P. 106 *περὶ Δάφνης* (Schol. Hom. Il. I 14) Phav. 454. Vide supra p. 24. || P. 162 *περὶ Εὐρύτου* (Schol. Hom. Il. V 392) Phav. 799. || P. 340 *Πληϊάδες, ἑπτὰ — Κυκλικοῖς* (Schol. Hom. Il. XVIII 486) Phav. 1518, ubi *ἀνηστέρηται* Schol., *ἀνιστόρηται* Phav. Eud.: praeterea in margine addit Eudocia *ἑνὸς τῶν Γιγάντων* ad v. *Ἄτλαντος* et *τῆς Ὠκεανοῦ* ad v. *Πληϊόνης*, quae in textum recepit Villoison. Sumpsit autem ea Eudocia e parte glossae Phavorini, quam ipsa omisit. || P. 392 *περὶ Τέννου, ἀφ᾽ οὗ Τένεδος*. Huius glossae originem Flach p. 140 frustra ad plenius Scholion ad

Lycophron. 232 refert. Est enim Schol. Hom. Il. I 38 a Phavorino p. 1743 descriptum et inde in violarium receptum.

Haec e Scholiis Homeri oriunda auctore Phavorino exhibet Eudocia; neque verum est, quod vult Flach, pleniorem illis eam interdum esse; nam p. 30 *περὶ Ἄϊδος κυνέης* non Scholiis Homericis sed aliis fontibus usus est Phavorinus et verba *Ἀρχελάῳ οἰκέτῃ παραδόντες* e (Tzetz. Lyc. 138) Phavorino habet violarium p. 34.

§ 12. Supersunt e Phavorino in violarium ducta SCHOLIA quaedam THEOCRITI, PINDARI, PLATONIS, de quibus Flach p. 150—152 agit.

Ad SCHOLIA THEOCRITI in violario praeter locos a Flachio collectos duo redeunt hi:

P. 158 *περὶ Ἔρωτος. ὃν καὶ τυφλὸν — βδελυροῖς*, e Schol. Theocr. X 19 mutuatur Phavorinus p. 760, ex quo ea una cum insequentibus *ἔστι δὲ καὶ — πόθος* Eudocia sumit. Tum p. 368 *μαθηταὶ δὲ — Πυθαγορισταί* (Schol. Theocr. XIV 5) Phavorino 1598 deberi supra p. 17 docui. P. 92 *Βίας ἀδελφὸς Μελάμποδος* non e Schol. Theocr. III 43 petita sunt; neque enim id scholion habet Phavorinus. Sed alius est fons Eudociae, fortasse Phavorinus p. 1226.

Excribit autem Phavorinum falsarius ad verbum, etiam ubi a nostris Theocriti Scholiis solito longius ille recedit, velut p. 262 *περὶ κορυδαλοῦ*: cf. (Schol. Theocr. VII 23) Phav. p. 1093. Ceterum in glossa *περὶ Μίλωνος* p. 291 e (Schol. Theocr. IV 6) Phav. 1262 haec sunt *μέμνηται — αὐτοῦ — καὶ ἀνδρεῖον* et *ἐλθὼν — τὸν σφῆνα*. Reliqua omnia dedit Eust. ad Dion. 369.

SCHOLIA PINDARI pauca in violario delitescunt; omnia e Phavorino ducta sunt. Enumerat locos Flach p. 151. P. 206 *περὶ τοῦ Ἡλίου καὶ τῶν Ἡλίου παίδων*. Verba *τοῦ δὲ Ἡλίου παῖδες — ὁ νεώτατος* e (Schol. Pind. Ol. VII 75) Phav. p. 853 habet Eudocia. Phavorinus enim quamquam cum Scholio septem fuisse refert Solis filios, tamen omisso Ochimo sex nominat. Quae nomina cum etiam apud Eudociam sola

extent, fieri non potest quin huius quoque loci fons sit Phavorinus.

PLATONIS denique SCHOLIA in violario extant duo: P. 21 ὅτι Ἀπόλλων — ἀφελομένου τὴν γυναῖκα e (Schol. Plat. conv. 179 B) Phavorino hausta esse supra p. 26 dixi. P. 39 *Περὶ Ἀμφιδρομίων.* ἣ κατά τινας — προσήκοντας (Schol. Plat. Theaet. 160 E) cum tota glossa e Phavorino descripta esse supra p. 8 docui.

CAPUT POSTERIUS.

Atque de iis quidem fontibus, quos uni Phavorino Eudocia debet, hactenus; nunc eos consideremus, quos non per hunc solum accipit, sed etiam ipsos consulit. Sunt autem ex eo genere hi: Pollucis onomasticum, Eratosthenis qui feruntur catasterismi, Eustathii in Homerum commentarii, Scholia Apollonii Rhodii, Scholia Hesiodi.

§ 1. POLLUCIS ex onomastico duos Flach p. 105 in violario locos commemorat additque utrumque vitiis scatentem e pessimo codice descriptum esse. Quare mihi ex una editionum s. XVI (Aldina 1502, Iuntina 1520, Basileensi 1536), quas e deterrimo libro factas esse constat, sumpsisse Eudocia videtur glossam p. 42 καὶ ἄλλως περὶ πορφύρας = Poll. I 45. Alteram glossam p. 96 περὶ Γαργιττίου τοῦ κυνός non ex ipso Polluce V 47, sed e Phavorino p. 403 hausit falsarius, isdem enim verbis atque ille utitur ex parte longe a Polluce recedentibus eademque quae ille exhibet menda.

§ 2. ERATOSTHENIS catasterismorum epitomen paulo ampliorem ut cum Roberto (Eratosth. catast. reliquiae. Berol. 1878 p. 24) lectam esse ab Eudocia existimem, neque violarii cum catasterismis comparatio permovet neque quod ille profert exemplum ex Eud. p. 407 de Hyadibus. Cuius glossae summum fontem esse Eustathium ad Hom. p. 1155 iam Flach recte indicavit. Nam (Eust. l. l.) Phavorinus 1788

verus fons est: *Λωδωνίδας* Eust., *Δωνίας* Phav. Eud. ‖ *ὀνόματα* Eust., *ὄνομα* Phav. Eud. ‖ *Ὕην* Eust., *Ὑΐν* Phav. Eud. Neque cum eodem Roberto p. 249 in addendis Eudociae caput *περὶ Πλειάδων* p. 339 (*Πλειάδες — πέντε*) inter fragmenta catasterismorum receperim, quippe quod sciam ex eodem Phavorino p. 1514 ductum esse, cui totam illam glossam debet Eudocia: *Πλειάδες — Ἄτλαντος* et *λέγει δὲ Πίνδαρος* — p. 340 *τὸ τέλος* ex Et. M. 675, 34 habet Phav., *ἦσαν δὲ δώδεκα — τὸ ἄστρον τοῦτο καλοῦσι* et p. 340 *κεῖνται δὲ — ἀμαυρωθῆναι* ex Eustathio ad Hom. p. 1155. De reliquorum fonte supra p. 28 dictum est.

Collegit autem primus locos e catasterismis petitos Flach p. 33. *Περὶ Καλλιστοῦς* p. 259 non recte e Catast. 8 repetit: fons enim est Tzetzae scholion ad Hesiod. op. 564. p. 161 ed. Bas. Idem neglexit locum p. 124 *Διόσκουροι — ἐπιφάνειαν ἔσχον* et *οὔτε γὰρ* — p. 125 *ἐν τοῖς ἄστροις*, quem e catasterismis c. 10 petitum Phavorinus p. 516 Eudociae suppeditavit.

Phavorino enim horum quoque locorum maiorem partem deberi (ex tredecim locis novem), cum omnia Phavorini vitia in violario repetantur, facile intellegitur. Quattuor locos ex ipso aliquo catasterismorum codice Eudocia videtur hausisse, nisi forte in miscellaneo aliquo libro, quales s. XV et XVI permultos circumlatos esse constat, repperit: 1) P. 315 *περὶ τοῦ ὀϊστοῦ τοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ* Catast. 11. ‖ 2) P. 317 *περὶ ὄρνιθος τοῦ ἐν οὐρανῷ — ἀνέδραμεν εἰς οὐρανόν* Cat. 25. ‖ 3) P. 328 *περὶ τῆς ἐν τῷ οὐρανῷ παρθένου* Cat. 9. ‖ 4) P. 337 *περὶ τοῦ Πηγάσου. Ἄρατος δέ φησιν κ. τ. λ.* Cat. 18.

Sola igitur haec non a Phavorino, sed ab ipso aliquo Catasterismorum libro videntur originem trahere. Quem a nostris interdum valde recedere recte monet Flach. Quin etiam nostris plenior is codex videtur fuisse in cap. 9. Sane quae p. 328 habet Eudocia *οἱ δὲ Ἀστραίου θυγατέρα τοῦ πρώτου τὴν ἀστέρων εὑρόντος ὀνομασίαν* apud Graecum auctorem non invenio. P. 317 autem *περὶ ὄρνιθος* verba in fine posita *οἱ δὲ πλείονες ἐπὶ τῇ Λήδᾳ ταῦτα ἐμυθεύ-*

σαντο ut in illo Catasterismorum codice cap. 25 extitisse existimem, mihi non persuadet Flach. Facillime enim id ipse falsarius addere potuit e Nonno I 91 aut II 3.

§ 3. Ex EUSTATHII in Homerum et in Dionysium Periegeten commentariis cum ingens locorum numerus per violarium dispersus sit, et Eustathium ipsum ut saeculo recentiorem Eudocia ipsa excribere nullo modo potuerit, eosdem fontes eius atque Eustathii esse plerique olim existimabant. Rectius iam Meineke intellexit non posse nisi ipsum Eustathium eorum locorum fontem esse; neque enim in rebus solis sed etiam in verbis maxime cum Eustathio illa congruit etiam iis locis, ubi facile Eustathium ipsum loquentem agnoscas. Locorum copiam Flach cum p. 106 sq. colligeret, permultos omisit; qui praeterea incommode modo Basileenses, modo Romanas paginas citat. Emendatiorem indicem exhiberem, nisi me chartae misereret, neque opus est, quos locos ex ipso Eustathio, quos e Phavorino Eudocia habeat, enumerare. Hoc dico, in commentariis Homericis dimidiam fere partem Phavorino, alteram ipsi alicui vel scripto vel edito libro Eustathii deberi. Manu scriptum enim an typis expressum habuerit, neque facile potest discerni, cum apparatu critico in hoc auctore careamus, neque omnino magni id est momenti. Potest sane principe Eustathii editione Romana a. 1542 usa esse Eudocia, quoniam post 1543 eam scripsisse infra apparebit.

Exempli gratia aliquot locos a Flachio omissos propono: P. 50 *περὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μυνδίου* non ex Hesychio Milesio (cf. Flach p. 49) neque ex ipso Athenaeo V 221, sed ex Eustathio ad Homerum p. 1704 duxisse Eudocia videtur, ubi Athenaei locum ille laudat. || P. 145 ex ipso Eust. Hom. p. 1501 sumpta est glossa *περὶ Εἰδοθέας*. || P. 149 in capite *περὶ Ἐννυοῦς* (ita codex Eudociae) verba *ἀπὸ τοῦ ἔνω τὸ φονεύω, ὡς ὁ Ἡρακλέων φησίν* ex (Eust. Hom. 524) Phavor. 666 addita sunt. || Ipsum Eust. Hom. p. 1766 describit Eudocia p. 153 *Ὁ Ἑρμῆς — ἐρευνητικόν*. || Tum in eadem pag. *ὠνόμασται — Ἡρωδιανός*, duos locos Eustath.

Hom. 182 et 1951 a Phavorino p. 753 excriptos ab hoc accipit Eudocia. Reliqua pars eius glossae Cornuti capiti 16 debetur usque ad pag. 156 *τὸ σὸν μένος*; quae sequuntur, pleraque ab Eustathii in Homerum commentariis originem habent: *ὁ Ἑρμῆς λέγεται νόμιος — ποταμοῖς* ex ipso Eust. ad Hom. 1766. ‖ *ἡ δ' ἀλληγορία* — p. 157 *φύσεως* (Eust. Hom. 182) Phav. 753 [ubi *εἰρηνικὸν* Eust., *εἰρηνικός* Phav. Eud.; *ἄστρων* Eust., *ἄρθρων* Phav. Eud.] ‖ P. 157 *ῥάβδον χρυσείην — ποιεῖν βαδίζειν* (Eust. Hom. 1951) Phav. 1611. ‖ *ἡ τοίνυν — σκῆπτρον* (Eust. Hom. 1657) Phav. ibid. *φασὶ δὲ — ἡ χέλυς* (Eust. Hom. 574) Phav. 1872 i. v. *χέλυς* [ubi *κλοπῇ βοῶν ἐκείνου* Eust., *κλοπῇ τῶν ἐκείνου* Phav. Eud.] ‖ *λέγεται δὲ — Πατροκλείδης* (Etym. M. 766, 23) Phav. 1773. *καὶ Κυλλήνιος — ἀυπνίας* (Eust. Hom. 1951) Phav. 1126. ‖ *λέγεται δὲ* — p. 158 *ἔπεσον τῷ Ἑρμῇ* (Eust. Hom. 1809) Phav. 752 [ubi *ἀπετίθει* Eust., *ἐπετίθει* Phav. Eud.; *Ἑρμῆς λόγος ἀποτάδην* Eust., *Ἑρμῆς ἀποτάδην* Phav. Eud.; *συσσωρευόμενος* Eust., *σεσωρευμένος* Phav. Eud.] ‖ P. 158 *λέγεται — ὁ Πάν*. Eust. Hom. 1397. ‖ P. 160 *περὶ Εὐήνου* (Eust. Hom. 776) Phav. 786: eodem e loco Phavorini descriptae sunt glossae *περὶ τοῦ Ἴδου* p. 237 et *περὶ Μαρπήσσης* p. 285.

In eadem p. 160 glossam *περὶ Εὐμαίου* non recte totam ex Eustathio ad Hom. 1784 repetit Flach. Immo duos fontes ibi excriptos esse vel eo docemur, quod sola verba *Εὔμαιος — φιλίας* in textu codex habet, *ὃς ἐς τοσοῦτον — Δανάην* in margine. Et haec quidem pars revera e laudato Eustathii loco ducta est, priori originem dedit (Et. M. 393, 19) Phav. 791 [ubi *καὶ Φιλοίτιος* Et. M., *ὡς καὶ Φιλ.* Phav. Eud.].

P. 206 et 207 e tribus Eustathii locis ad Hom. 81, 1883. 561 coniunctis apud Phavorinum p. 866 Eudocia haec habet: *ὅθεν καὶ ἡραία ζωὴ ἡ βασιλική*, item verba *δότειραν δὲ εἴδους — Κέρβερον ἀνήγαγεν*. ‖ P. 253 *διὰ τί κελαδεινὴ ἡ Ἄρτεμις;* Duos Eustathii locos ad Hom. p. 774, 18 (initium — *κελάδου*) et p. 1249 coniunctos a Phavorino p. 1030 huius ex lexico mutuatur Eudocia: [*κῆλα δεινὰ* Eust., *κηλεδεινὰ* Phav. et Eudociae codex; *οὓς ποιεῖ ἡ μὲν* Eust., *οὓς ἡ μὲν* Phav. Eud.]. ‖ P. 276 *περὶ τῆς Λήδας* ipsum Eusta-

thium Hom. 1686 sequitur Eudocia, eundemque ad Hom. 1683 *περὶ Μεγάρας* p. 286, cuius glossae exitum *ὥς δέ τινες — κατὰ φύσιν θανεῖν* perperam Tzetzae ad Lyc. 38 tribuit Flach p. 130. || P. 315 *περὶ τῆς ὀνειρομαντείας*. Initium — *ἐξέρχεσθαι* e Nonno I 71 habet Eudocia; quae sequuntur e duobus Eustathii locis ad Hom. 171 (— *ἀτμίσιν*) et 173 a Phavorino p. 1362 descriptis. || P. 325 *περὶ τοῦ Πανδάρεω* initium — p. 326 *λεχθήσεται* ex Eust. Hom. 1875 ipso, quae sequuntur ex eiusdem loci parte a Phavorino p. 1421 excripta ducit Eudocia [ubi *παρακατέθετο* Eust., *παρεκάθετο* Phav. Eud. | *ὄρος τὸ Σίπυλον* Eust., *τὸ Σίπυλον* Phav. Eud. | *Ἁρμοθόης* Eust., *Ὁρμοθόης* Phav. Eud.]. || P. 372 *περὶ Σαρπηδόνος* (Eust. Hom. 636) Phav. 1636. || P. 379 *περὶ Στυγός*. Tota glossa e Phavorino provenit. Cuius paginae 1691 debetur initium — *τὰ κάτω* compositum e tribus Eustathii locis: ad Hom. 429 *Στὺξ — λέγεται*, ad Hom. 1937 *καὶ στυγερῶς — τὸ στυγέειν*, ad Hom. 718 *ἀστείως — κάτω*. Reliqua ex (Eust. Hom. 763) Phav. 1692 [ubi *ἐκκίνητον* Eust., *εὐκίνητον* Phav. Eud.]. || P. 414 *περὶ Φερέκλου* (Eust. Hom. 521) Phav. 1825 [ubi *τέκτονος* Eust. et Phav. recte, *τέκτων* perperam Eud. | *Τρώεσσι γένοντο* Eust., *ἐγένοντο Τρώεσι* Phav. Eud.]. || Ibidem *περὶ Φιλοξένου* locos Athenaei I 6 et VIII 341 d ab Eust. Hom. 1817 coniunctos excribit Eudocia. || P. 421 *περὶ Φυλέως* (apud Flachium p. 119 vitio typographi expressum est *Φυλάκος*) = (Eust. Hom. 305) Phav. 1847. Eadem enim quae Phavorinus inter *ἐξεκάθηρεν* et *οἱ δὲ* omittit Eudocia. || P. 430 *περὶ τῶν Χαρίτων. πλάττονται δὲ κτλ.* (Eust. Hom. 553) Phav. 1859. || P. 433 *περὶ Χρυσηΐδος* tota glossa profluxit ex Eust. Hom. 118, 119.

In Dionysium Periegeten commentarios Eustathii Phavorinus non videtur expilasse. Quos quidem ex iis locos Eudocia habet, ipsius Eustathii e codice aliquo excerpsit. Nec vero statim ab initio eum nacta esse videtur; quos enim ante p. 47 ex eo locos exhibet, ei omnes in marginibus codicis Parisini exarati sunt: primum ex his commentariis in textu legitur caput *περὶ Αἰγύπτου* p. 47. Collegit locos Flach

p. 110; quibus addendi sunt non pauci, velut pag. 75 περὶ Ἀριστάνδρου. στρατεύοντος — ἔφασκεν Eust. Dion. 747. | P. 86 περὶ Ἀψύρτου Eust. Dion. 488. || P. 122 ἰστέον δὲ — p. 123 πολύστικτον Eust. Dion. 566 et 700. || P. 147 περὶ τῆς Ἐμπούσης· λέγεται δὲ — ἡ Ἔμπουσα. Eust. D. 723. | P. 254 περὶ τοῦ κέρατος τῆς Ἀμαλθείας — ἐτύπουν αὐτούς. Eust. D. 431. || P. 429 περὶ τοῦ Χάρητος· τινὲς δέ φασιν — πάρεργον et in antecedentibus quaedam Eust. D. 504.

Videtur autem Eudocia non principem editionem Eustathii ad Dionysium commentariorum Parisinam a. 1547, sed codicem aliquem non bonum evolvisse; nam satis multa vitia cum deteriore codicum genere communia his locis sunt.

Sed priusquam Eustathium missum faciam, de Flachii sententia agendum mihi est eosdem Eustathii atque Eudociae fontes esse censentis. (Cf. Flach p. 111 sq.)

Atque primum quidem magnum numerum locorum ex Eustathio interpolatione in violarium irrepsisse ut arbitretur, ea quam concepit de Eudocia Augusta violarii auctore opinione cogitur. Quo de genere explicandi quid iudicem, supra p. 15 sq. exposui. Vitia quod eadem apud utrumque deprehenduntur, id non interpolatorum, sed Phavorini operarum et falsarii socordiae tribuendum est; neque alios atque Eustathius auctores Eudocia laudare potuit, cum eum describeret. Pausaniae lexicon quattuor locis ab Eudocia laudatur, qui loci omnes Phavorino debentur; Pausaniae enim ipsius lexicon magis ignotum falsario quam nobis fuisse verisimile est. De glossa p. 43 περὶ Ἀντικλείας satis in superioribus exposui (cf. p. 20).

Praeter hos autem »interpolatos« locos non paucos ex eodem fonte atque Eustathii (praecipue Homericos commentarios emanasse iudicat Flach. Atque primum quidem quod Eudocia ea omittit, quae crebra sunt apud Eustathium ὡς ἀλλαχοῦ εἴρηται et similia, nihil est quod miremur: quae pleraque etiam a Phavorino absunt; ac stultior iusto falsarius fuisset, si talia repetivisset. Neque in partibus narrationum alio ordine dispositis moramur. Pag. autem 262 περὶ

Κρηθέως Eustathius Hom. 1681 descriptus est, *ὡς δέ τινες καὶ Ἀθάμαντος* verba e Phavorino i. v. addita; *περὶ Κτιμένης* (Eust. Hom. 1784) Phavorinus 1118 ad verbum repetitus est. Quin etiam verba *καὶ ἄλλως* ab Eudocia addi potuisse mihi persuasi et sescenties addita esse scio.

Pleniores autem aut integriores quam apud Eustathium in violario locos neque ipse repperi, neque iis locis, quos Flach p. 113 congessit, revera Eustathio Eudociam praeferendam esse opinor. Pag. 83 verba *αἴγειρον τὴν καὶ Ἀχερωΐδα λεγομένην* in glossa *περὶ τοῦ Ἀχέροντος* non eiusdem esse atque reliqua originis vel inde apparet, quod in codice Parisino ea supra lineam leguntur. Et revera intulit falsarius ex eadem p. 339 Phavorini, cui totam eam glossam debet. (Initium — *Ἀχέρων* dedit Et. M. 180, 46; reliqua Eust. Hom. 938.)

Perdices autem poeta p. 90 [*ἕτερος ποιητής* Eust. Phav., *ποιητὴς ὁ Περδίκης* Eud.] aeque atque alia nomina nonnulla falsarii inventioni tribuendus est; neque enim extitit is poeta in rerum natura, neque Maiumas aut Peltianus, aut Assorinus aut Palatianus, quos p. 1 in adnotatione infeliciter finxit falsarius. Neque bene Flach Pindari nomen substituere Perdicae conatur; Eustathii enim *ἕτερος ποιητὴς* est Theocritus, quippe apud quem unum *Βελλεροφῶν* forma legatur XV 92. [*ὅτι δὲ ὁ Βελλεροφόντης — τὸ ὄνομα.* (Eust. Hom. 632) Phav. 361: *ἰστέον δὲ* Eust., *δῆλον δὲ* Phav. Eud.: *Λεωφόντην* Eust., *Λεοφόντην* Phav. Eud.]. || In eadem pag. *περὶ Βήλου* Eustathium ad Dion. 1005 Eudocia sequitur, apud quem quod *ἀφ᾽ οὗ — Βηλίδες* extare negat Flach, fallitur. || P. 16 *περὶ Ἀσκληπιοῦ — προσφερόμενος* nihil non e Phav. p. 296 sumptum est. (Phavorinus hausit ex Et. M. 154, 38 et Eust. Hom. 463.) || P. 162 *περὶ Εὐρώπης* non statim ab initio Eustathium Dion. 270 describit Eudocia, sed *ἰστέον — ἐκλήθη*: initium e codice Parisino 2600 originem trahere infra docebo; indidemque verba *ἐξ ἧς — Σαρπηδόνα.* || P. 29 *περὶ τῆς αἰγίδος.* Si memor fuisset Flach versus Aristophanis Ran. 1145, *εὐμαθέστερον* hoc loco ab Eudocia rectius scribi quam ab Eustathio ad Homerum p. 602 *ἀμα-*

θέστερον vix autumasset. Significat enim laudatum comici versum eo loco Eustathius. [*Αἰγὶς* — p. 30 *φορεῖν* (Eust. Hom. 602. 601) Phav. 59: *τραγέας* Eust., *τραγίας* Phav. Eud. | *τραγᾶς* Eust., *τραγῖς* Phav. Eud. | *λυκέην* Eust., *λυκίην* Phav. Eud. | *ἀμαθέστερον* Eust. cum Aristophane, *εὐμαθέστερον* Phav. Eud. | *τριχώδη* Eust., *πηχώδη* Phav. Eud.]. || P. 152 et 379 *εὐκίνητον* Eud. et (Eust. Hom. 763) Phav. 1692, *ἐκκίνητον* editio Eustathii Weigeliana. Quid Eustathius scripserit non perspicio. An *ἐκκύνητον*? Neque *Ῥοδογοὺ ἥ*, ut in eadem editione expressum est, scripsit Eust. Hom. 1688, sed *Ῥοδογούνη*, quod habet Eud. p. 346. Pag. autem 327 Eustathium ad Hom. p. 1875 describit Eudocia eique omnia debet, quae in textu habet codex Parisinus a *Πανδίονος* voce usque ad exitum. Ex quo quae deprompta non sunt, ea omnia margo codicis praebet, neque nomina, qualia nunc in violarii editione leguntur, ab initio in codice scripta erant. Procnae enim et Philomelae nomina in rasuris ibi leguntur, ut permutata ea a falsario esse pateat. Habet autem margo haec: *ἐκ Θρᾴκης*, et *τινὲς δὲ τὴν Φιλομήλαν — ἀπωρνεομένην*, et *Ἴτυ, Ἴτυ ἐλεεινῶς φθέγγουσα*. Intulit ea falsarius e glossa superiore p. 240 *περὶ Ἴτυος*, ubi in margine adscripsit haec: *κατά τινας, ὡς ἐν τῷ περὶ Πανδίονος λεχθήσεται*, quae in textu posuit Villoison. Praeterea ibi quoque nomina Philomelae et Procnae in rasuris extant. Debet superiorem glossam Eudocia Phavorino p. 962 (Schol. Ar. Av. 212) [*τῆς αὐτοῦ γαμετῆς* Schol., *τῆς ἑαυτοῦ γαμ.* Phav. Eud.]. Videtur autem Eudocia primum ex Eustathio correxisse glossam p. 240, tum Phavorini lectiones ibi restituisse easdemque intulisse in paginam 327.

§ 4. APOLLONII RHODII SCHOLIORUM iam Keil (Ap. Rh. ed. Merkel p. 300) non melioribus Eudociam quam nos libris usam esse perspexit. Eodem e fonte atque Laurentianum XXXII 9, communem nostrorum scholiorum originem, Eudociae glossas descriptas esse Flach cum p. 125 existimet, procul a vero abest. Nam cum tria distinguantur genera scholiorum Apollonii, primum Laurentianum.

alterum Florentinum ab editione principe Florentiae 1496 vocatum sive textus vulgatus, tertium Parisinum a codice Parisino 2727 saec. XV, e quo ea primus edidit G. Schaefer 1813, nihil cum primo genere commune habet Eudocia, quin idem in duobus reliquis reperiatur, ubi illa a primo recedunt, aut cum Florentinis scholiis facit aut cum Parisinis. Atque Florentina quidem scholia e Phavorino deprompsit, Parisina aut e codice Parisino 2727 aut ex libro eius simillimo. Utriusque generis exempla quaedam proferre satis habeo. Indicem locorum confecit Flach p. 122.

P. 18 *καὶ ἄλλως περὶ Ἀντιόπης.* (Schol. Ap. Rh. IV 1090) Phav. 208 [ubi *ἑλεῖν ἐπελθόντα Σικυῶνι. στρατεύει δὲ* Schol., *ἑλκεῖν. ἀπελθόντα δὲ εἰς Σικυῶνα, στρατεύει* Phav. et Eudociae codex.] ‖ P. 31 *περὶ Αἰήτου.* Totam glossam ad verbum e Phav. 64 sumpsit compositam duobus e fontibus: Et. M. 32, 22 *γέγονε — ἄνεμοι* et Schol. Ap. Rh. III 242 [*Ἐφύραν* Schol. Ap., *Ἐφήραν* Phav. Eud. | *Ἄψυρτον* Schol., *Ἄψιρτον* Phav. Eud.]. ‖ P. 39 *περὶ Ἀμυμώνης.* Non Schol. Ap. I 134, sed (Etym. M. 87, 34) Phav. 147 Eudociae fons est. ‖ P. 45 *περὶ Ἄβαντος.* Non tota glossa, sed initium — *Μελάμπους, οὗ Ἄβας* e Schol. Apoll. I 143 Parisino profluxit. In Florentinis enim Amythaonis mentio deest. [*Καθ' Ὅμηρον — ἐξ οὗ Ἄβας.* Eust. Hom. 281.] ‖ P. 103 *περὶ Δακτύλων* glossa aptissima est ad Eudociae in Apollonii scholiis excerpendis rationem illustrandam. Nam initium — *ἐκλήθησαν* e Parisinis scholiis ad Ap. Rh. I 1126 habet. Quod enim in illis solis legitur nymphae nomen *Ἀγχιάλη* (om. Laur. et Flor.), servatum est in violario. Contra quae sequuntur *οἱ δὲ — σίδηρον* quin e (Schol. Ap. Rh. I 1129) Phavorino p. 147 sumpta sint, dubitari non potest. Neque enim Parisina, sed Florentina ibi scholia sequitur Eudocia et cum solo Phavorino versum extremum *ἐς πῦρ δ' ἤνεγκαν καὶ ἀριπρεπὲς ἔργον ἔδειξαν* omittit. ‖ P. 148 *περὶ Ἐνδυμίωνος.* Scholion Ap. Rh. IV, 57 in suum usum transtulit Phavorinus p. 646 a verbis *Σαπφὼ δὲ* usque ad exitum. Phavorini glossam transcribit falsarius. [*Περὶ δὲ τοῦ Σελήνης ἔρωτος ἱστορεῖ Σαπφὼ καὶ Νίκανδρος* Schol., *Σαπφὼ*

καὶ Νίκανδρος ἱστορεῖ περὶ τοῦ τῆς Σελήνης ἔρωτος Phav. Eud.]. Praemittit autem verbis a Phavorino petitis falsarius haec: *Ἐνδυμίωνος τὴν Σελήνην ἐρασθῆναι μυθεύονται.* Ubi litteram *α* vocis *Ἐνδυμίωνα* codex in rasura exhibet, *Ἡσίοδος — τούτου δὲ* in margine itemque *Λάτμιον* et *Θεόπομπος δὲ — εἰς Ἅιδου* illata aut e Phavorino 1157, ubi scholii supra laudati initium ille exhibet, aut ex ipso illo scholio. Ceterum *Θεόπομπος ἐν ἐποποιοῖς. ἐν δὲ ταῖς μεγάλαις Ἠοίαις λέγεται* Schol. et Phavor., *Θεόπομπος ἐν ταῖς μεγάλαις Ἠοίαις λέγει* ineptissime Eudocia. Phavorini mendum *Ἴβικος* servat Eudocia. ‖ P. 210 *Περσέως καὶ Ἀνδρομάχης* — p. 211 *ἐκεῖθεν ἀπήλασαν* e Schol. Ap. I 747 Parisino ducta sunt (non ex Apollodoro II 4, 5, ut vult Flach in editione) [*τῆς μάμμης ἑαυτῶν τῆς μητρὸς Ἱπποθόης* Schol. Laur. Flor. et Phav. 1752, *τῆς μάμμης ἑαυτῶν Ἱπποθόης χρήματα* Schol. Paris. et Eudoc.] ‖ P. 211 *γήμας δὲ* — p. 212 *Καλλίμαχος μέμνηται.* (Schol. Ap. I 1212) Phav. 867*). ‖ P. 237 *περὶ τοῦ Ἴδμωνος·* Schol. Ap. I 139. 143 Paris. [*Λαοθόης* Laur. Flor., *Λασθείας* Par. Eud. | *Ἡρόδωρος* Laur. Flor., *Ἡρόδοτος* Par. Eud.] ‖ P. 238 *περὶ Ἰξίονος — τιμωρεῖται* Schol. Ap. III 62 Par. [*δῶρα* Laur. Flor., *ἕδνα* Par. Eud.]**) ‖ P. 248 *περὶ τοῖ Κάδμου* tota glossa e (Schol. Ap. III 1179. 1186) Phavorino p. 967 originem habet, nisi quod verba *υἱὸς Ἀγήνορος* aliunde addidit Eudocia [*Ὑπερήνωρ* Schol., *Περήνωρ* Phav. Eud. | *πολλοῖς* Schol., *πολεμίους* Phav. Eud. | *Θήβησιν* Schol., *Θήβαισιν* Phav. Eud.] ‖ P. 286 *περὶ τοῦ Μελάμποδος. Ἀμυθάονος* — p. 287 *κλέψαι.* Schol. Ap. I 118 Par. Scholion Florentinum recepit Phavorinus p. 1226 [*Διευχίδας* Laur., *Δηριχίδας* Flor. Phav., *Διρυχίας* Paris. Eud.***) | *Μελάμπους,*

---

*) Cui scholio cum glossae illius partem inde a *φασὶ δὲ τὸν Ἡρακλέα* deberi dicat Flach in editione, fallitur; nam *φασὶ δὲ — Δηιάνειραν ἔλαβεν* verba fontem habent (Anon. de incr. V. Westerm. p. 322) Phav. 867.

**) Parum accurate de huius glossae fontibus statuit Flach; *Ἄλλως δὲ — τραγέλαφος* = (Eust. Hom. 102) Phav. 945.

***) Fallitur Flach in editione, cum *Διρυχίδας* in Scholiis et in Eudociae codice et editione Villoisoniana extare dicat.

φίλτατος ὢν τῷ Ἀπόλλωνι Laur., *Μελάμπους* Flor. Phav., *Μελάμπους φίλος ὢν τῷ Ἀπόλλωνι* Par. Eud.] || P. 305 de Neleo (*Νηλεὺς — Πολυκλύμενος*) non Scholia Ap. I 152, sed Eustathium Hom. 1684 sequitur Eudocia [*Περικλύμενος* recte Schol. Ap., *Πολυκλύμενος* Eust. Eud.] || P. 333 *περὶ Περικλυμένου* una cum insequenti glossa Eudocia habet e Schol. Ap. I 156 Paris. [*ὃς ῥά τε* Laur. Flor., *ὃς δὴ* Par. Eud. | *θαλάσσιος* Flor., *θαλάσσῃ τ'* Par. Eud. | *τῷ ὀμφαλῷ τοῦ ζυγοῦ* Laur. Flor., *τῷ ζυγῷ* Par. Eud. || Tum in versibus Hesiodi: *ὄλβιον* L. F., *ὄλβια* P. Eud. | *μὲν γὰρ* L. F., *μέν τε* P. Eud. | *τελέσκετο* L. F., *πολέσκετο* P. Eud. || In stemmate denique: *ἐκ δὲ διαφόρων γυναικῶν* L. F., *ἐκ τῆς Φάρης* P. Eud. | *Ταῦρον* L. F., *Σκύρον* P. Eud. | *Δηΐμαχον* L. F., *Δόμαχον* P. Eud. | *δώδεκα γὰρ* L. F., *δώδεκα μὲν* P. Eud.] || P. 407 *πρὸς τούτοις — Κόλχων*. Schol. Ap. II 1210 Par. [*περιριφῆναι* L. F., *περιρυῆναι* P. Eud.]

Sed satis est exemplorum, quibus efficiatur, quod volumus, partem locorum cum Florentinis scholiis congruentem e Phavorino, alteram partem e Parisino scholiorum genere ab Eudocia ductam esse. Neque obstat huic sententiae, quod Flach p. 125 ait cum Laurentiano codice vitia Eudociae pleraque esse communia; qui cum omnium nostrorum codicum fons sit, fieri non potest quin eius vitia in reliquis libris permulta repetantur. Iam vero quae de integrioribus scholiis ab Eudocia expilatis Flach contendit, non veriora sunt iis, quae idem de aliorum fontium ab Eudocia excriptorum integritate sibi persuasit. Pag. 379 enim *μέμνηται δὲ καὶ Στράβων — τοῦ ἥρωος* una cum reliqua glossa e Phav. p. 1691 sumpsit Eud. (Schol. Ap. Rh. II 1054 et Eust. Hom. 302.) || P. 410 *οἱ δ' αὐτοὶ Κελτοὶ — Κυκλώπων* e (Schol. Ap. IV 611 Flor.) Phav. 851 habet Eudocia, non e codice Laurentiano, eaque de causa Laurentiano plenior est, quod interpolatum fontem sequitur. Neque alia de causa p. 377 meliora, ut Flach existimat, leguntur quam in Scholiis Laurentianis Ap. IV 825. Nam Parisinum codicem ad verbum transcribit Eudocia.

Argumenta denique Apollonii, quae p. 146, 235, 419 ex exemplis Apollonii et inter se differentibus neque cum nostris congruentibus ducta esse Flach p. 152 autumat, e Parisino codice paene ad verbum descripta sunt. P. 146 in verbis *Ἀθάμας — τελευτᾷ* unum verbum mutat Eudocia in fine propter insequentia: *τοῦ Σκυθῶν βασιλέως* Paris., *τοῦ Κόλχων βασ.* Eud. (sed in rasura). || P. 234 *Τυρώ* — p. 236 *τελευτᾷ.* Falsarius verba *ὁ δὲ Ἰάσων — φυγόντος* p. 235 aliunde intulit. || P. 419 *περὶ τοῦ Φρίξου* eundem Parisinum Eudocia sequitur, sed immiscet multa e (Schol. Ar. Nub. 257) Phav. p. 48.

§ 5. HESIODI SCHOLIORUM duo esse genera notum est: alterum antiquiorum et breviorum, quae e pessimo saec. XVI codice Cantabrigiensi (cf. Hesiod. ed. Goettling-Flach p. LXVIII) prima publicavit editio Basileensis 1542; alterum Triclinianorum, quae primus edidit Trincavellius a. 1537 Venetiis; quo genere utitur Phavorinus. Apud Eudociam utriusque vestigia apparent; Basileensem enim editionem ipsa describit, Tricliniana scholia e Phavorino accipit.

Atque Tricliniana quidem haec in violario deprehendi:

1) P. 14 *περὶ Ἀφροδίτης.* Verba *Κυθέρεια — κύειν τὸν ἔρωτα* e Phavorino sumpta esse inde apparet, quod quattuor ibi fontes eodem ordine conexi leguntur: a) *Κυθέρεια — ἐν ἑαυτῇ τὸν ἔρωτα.* Zon. 1266 (cuius est fons Etym. M. 543, 40). || b) *ἢ ὅτι — πάθος.* Hesych. i. v. || c) *ἢ ὅτι — Κύθηρα.* Eust. Hom. 1598. || d) *ἢ ἀπὸ τοῦ κεύθειν — τὸν ἔρωτα* Schol. Hes. Theog. 196 Trinc. Verba *διὸ — λέγεται* in margine codicis e Cornuto 24 addit Eudocia. Minus recte de hoc loco exponit Flach p. 115 in adn. 3.

2) P. 97 *περὶ Γλαύκου. καὶ Γλαύκη — ὑδάτων* cum praecedentibus profluxerunt e Phavorino 420 (Tzetz. Lyc. 754 et Schol. Hes. Theog. 244).

3) P. 121 *χρυσοκόμης* — p. 122 *ἀτοπήμασι* (Schol. Theog. 947 Trinc.) Phav. 1878. A Basileensi id scholion abest.

4) P. 208 *περὶ τοῦ Ἡρακλέους. πρῶτον τοιγαροῦν — ἐν Ἄργει* (Schol. Theog. 327 Trinc.) Phav. 1297 [*ἀπὸ τοῦ νεμεθῆναι περὶ τοὺς τόπους τοῦ Ἄργους* Bas., *νεμόμενον καὶ ἀφανίζοντα τοὺς ἐν Ἄργει τόπους* Trincav. Phav. Eud.]

5) P. 337 *περὶ τοῦ Πηγάσου. λέγεται δὲ — ὠνόμασαν.* (Schol. Theog. 2 Triclin.) Phav. 952 [*ἀναδοθεῖσα* Bas., *ἀναδοθῆναι* Trinc. Phav. Eud.] || *Πηγασίαν ἐκ τοῦ ὄρους* libri et Bas., *Πηγασίαν αὐτὴν καλοῦσιν* Tricl. Phav. Eud. (quae *ὠνόμασαν* pro *καλοῦσιν* substituit).

Haec igitur e Phavorino Basileensi a. 1538 translata sunt.

E Basileensi editione, cuius hic est titulus: Ioannis Grammatici Tzetzis expositio librorum Hesiodi cet. Basileae 8⁰, quam a. 1542 e codice Cantabrigiensi impressam esse constat, Hesiodi scholia Eudocia habet haec:

1) P. 89 *ἡ δὲ ἀλληγορία Πήγασον — παύειν τὰ καλά* Schol. Theog. 325. || *τὴν δὲ χίμαιραν* — p. 90 *κεκραμμένον* Schol. Theog. 319. Utrumque e Bas. p. 248 sumpsit Eud. eiusque vitia omnia servavit: *συγκεκραμμένον* Bas. Eud.; *τὰ κακὰ* Scholiorum libri, *τὰ καλὰ* Bas. Eud. Haec et similia vitia utrum in codice invenerit typographus Basil. an ipse commiserit incertum est; utut est, Eudocia aut eundem codicem s. XVI aut editionem descripserit necesse est.

2) P. 97 *περὶ τοῦ Γηρυόνου. διὰ τὸ εἰδέναι — αὐτὸν εἶναι* Schol. Theog. 287 Bas. p. 246. Qua in editione quod operarum, ut videtur, neglegentia excidit *ἔχειν* inter *ἓξ χεῖρας* et *φησι*, cum in codice Eudociae supra lineam scriptum sit, Basileensi editione falsarium usum esse verisimillimum fit. Reliqua pars capitis a (Tzetz. Lyc. 651) Phav. 417 originem habet.

3) P. 106 *Γενεαλογία Περσέως. Λυγγεὺς — Ἀκρίσιος*, tum *οὗ Δανάη, ἧς Περσεύς, οὗ Ἀλκαῖος* e Schol. Scuti 327 Bas. 111. Reliqua nomina e superiore glossa *περὶ Δανάης* omnia sunt.

4) P. 109 *περὶ τῆς Δήμητρος* Tzetz. ad Hes. op. 32 Bas. p. 34 omnibus vitiis servatis: *διόκουσα* et *πτεροτῶν* Bas. Eud. (Flach p. 117) || *περιεπταμένῳ* codex Eudociae

cum Bas. pro *περιπτάμενος* || *ἀρώσας* Bas. Eud. || *ἀροτριάσεως* et *τοὺς πλείστους* Scholiorum libri, *ἀρδεύσεως* et *τὴν πλείστην* Bas. Eud. || Ceterum verba *Δημήτηρ ἡ γῆ καλεῖται, ὅτι πάντων ἡ γῆ μήτηρ* non omisit falsarius, sed e medio capite in initium transtulit. || *δι' Ἐλευσῖνος* Scholiorum libri, *ἐξ Ἐλευσῖνος* Bas. Eud.

5) P. 159 *περὶ τῶν Ἑσπερίδων. ἡ δὲ ἀλληγορία — τὰ μῆλα* Schol. Theog. 215 Bas. p. 238.

6) P. 201 *λαμβάνεται δὲ ὁ Ζεὺς* — p. 202 *Στωικούς* Tzetz. prol. apud Gaisf. p. 36 = Bas. p. 27. Flach p. 116 parum accurate ab *ἀκολούθως* incipere narrat Tzetzae locum. Cornuti enim caput 11 fons est verborum *ἀκολούθως — γινομένων.*

7) P. 206 *Λέγεται δὲ Ἥλιος — ἔχων* Tzetz. ad Hes. op. 154 Bas. p. 77, non Etym. M. 426, 46, ut minus recte contendit Flach: *ἀφαιρέσει τοῦ δ* Tzetz., *ἀφαιρέσει* Bas. Eud.

8) Ibidem *ἔστι δὲ ὀξυκίνητος — μηνί.* Tzetz. ad Hes. op. 412 Bas. p. 137: *νυχθημερησίαν* Tzetz., *νυχθημερίαν* Bas., *νυκθημερίαν* Eud.*)

9) P. 206 *περὶ Ἥρας. Ἥρα — μεταλαμβάνεται.* Tzetz. prol. apud Gaisf. p. 36 = Bas. p. 27.

10) P. 259 *περὶ Καλλιστοῦς. καὶ τὸν ἀρκτοῦρον — ἀρκτοφύλακος.* Tzetz. ad Hes. op. 564 Bas. p. 161, non Eratosth. catast. 8, ut Flach putat p. 33.

11) P. 263 *περὶ Κυκλώπων. Ἑλλάνικος — οἱ θεοί.* Schol. Theog. 139 Bas. p. 232.

12) P. 293 *περὶ Μουσῶν.* Tota glossa e Cornuti cap. 14 et Tzetz. prol. apud Gaisf. p. 24 sq. = Bas. p. 16. 20 sq.

---

*) Liceat mihi data occasione de fontibus huius glossae exponere: 1) — *καὶ ἡ Σελήνη* Schol. Ap. Rh. IV 54 || 2) *τοῦ δὲ — νεώτατος* (Schol. Pind. Ol. VII 75) Phav. 855. Vide supra p. 29 || 3) *καὶ αἱ καλούμεναι Ἡλιάδες* Eust. Dion. 288. || 4) *καὶ ἄλλοι — καταγραφῇ* verba ipsius falsarii sunt de glossa insequenti, quae a Villoisonio omissa est: *Ἡλίου καὶ Σελήνης γενεαλογία* || 5) *τὸν δὲ Φαέθοντα — λιθοειδές* Eust. Dion. 288. || 6) *Λέγεται — ἔχων* et 7) *ἔστι δὲ — μηνί.* Vide supra. Parum accurate de his statuit Flach p. 102 et p. 151.

composita est. E Tzetza autem haec sunt: *ἐννέα — γεραίρουσιν* p. 20 Bas. [*περὶ* Scholiorum libri, *παρὰ* Bas. Eud.] || *παρὰ τὸ ὑπὸ πάντων — ἀγχινοίᾳ* Bas. 16 et 21. || *ἢ ὅτι τετράγωνος — πολλάκις πολλά* Bas. 16. || *κἂν ἡ καθόλου* — p. 294 *συγγράμματα* Bas. 21 et 22. || *ἀλλ' Εὔμηλος — Ῥοδίαν* Bas. 17. 18. || *τινὲς δὲ τὰς Μούσας — Καλλιόπη* Bas. 17. 18. || *τινὲς δὲ ἕτεροι — Τερψιχόρην* Bas. 19. || *καὶ αἱ μὲν τρεῖς* — p. 295 *ἐννέα λεγόμεναι* Bas. 18. 19. Reliqua suppeditavit Cornutus, eidemque, non scholio Hesiodi pleniori, ut arbitratur Flach, verba *τινὲς δὲ καὶ δύο μόνον εἶναί φασιν* debentur. Vitia Basileensia tenet Eudocia, velut p. 294 *μερικώτατοι* Scholiorum libri, *μετρικώτατοι* Bas. 21 et Eud. | *ἐννέα ἡμέρας συγκαθεύδων* in *ἐννέα νύκτας συγκ.* mutavit falsarius, non in codice invenit.

13) P. 327 *περὶ Πανδώρας*. Tzetz. ad Hes. op. 56 Bas. p. 47.

Haec igitur cum aut e codice Cantabrigiensi s. XVI aut ex editione Basileensi 1542 deprompta esse consentaneum sit, hoc probabilius est. Certe neque de interpolationibus cum Flachio cogitari potest neque de integrioribus aut plenioribus Hesiodi scholiis ab Eudocia excerptis. P. 263 enim nihil legitur, quin e Basileensi sumptum esse possit praeter verba *ἀλλὰ περὶ τῶν θεῶν*, quae facillime addi potuisse vel ab ineptissimo homine e titulo libri (*ἐξηγήσεις τῆς Ἡσιόδου θεογονίας*) facile concedas [*υἱοῦ τοῦ Οὐρανοῦ* Scholiorum libri, *υἱοῖ Οὐρανοῦ* Bas. Eud.]. De reliquis, quae meliora quam in nostris Hesiodi libris servata esse ab Eudocia contendit Flach, supra exposui.

Sed satis mihi multa et luculenta proposuisse videor exempla, quibus efficeretur, quod volui, dimidiam fere partem violarii e Phavorino a. 1538 impresso descriptam esse.

Reliqua huius commentationis pars propediem edetur in Dissertationum Argentoratensium vol. IV.

Typis expresserunt Breitkopf et Haertel Lipsienses.